PLATONIS ET ARISTOTELIS
DE ARTE RHETORICA DOCTRINAE INTER SE COMPARATAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XI. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GEORGIUS RICHARDUS WIECHMANN
POSTAMPIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ALBERTUS GUETH, CAND. PHIL.
GUILELMUS HOFFMANN, CAND. PHIL.
HUGO JENTSCH, CAND. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

ADOLPHO TRENDELENBURGIO

SACRUM.

Etsi verum est, id quod negare nemo potest, artem dicendi apud omnes, quicunque humanitatis fuerint participes, populos aliquo in usu semper fuisse, maximeque illam, quae in causis privatis agendis versatur, eloquentiam, qualiscunque civitatum status fuerit et condicio, nunquam prorsus evanuisse, tamen et per se facile cognoscitur et historiae fide comprobatur, artem rhetoricam universam laete efflorescere omnibusque partibus excultam vigere et florere nullo modo posse nisi in civitatibus aut liberis aut — ne recentioris aetatis videamur esse immemores — in quibus principis potestas certis sit terminis circumscripta. Nam in iis, quas diximus, civitatibus cum omnes salutis communis teneantur studio, neque cuiquam, quid sentiat de publicis rebus, libere ingenueque dicere crimini sit, maximamque is inter cives obtineat auctoritatem, qui consilia sua oratione optima possit probare, eloquentia laetissima capiat incrementa necesse esse, quis est quin habeat perspectum? Qua de causa minime mirandum est, quod ab Atheniensibus inde a Periclis aetate, ex quo tempore summa utebantur libertate, cum etiam a natura insignibus ingenii dotibus praediti essent, rhetorica summo studio

prosperrimoque cum successu culta, perpolita brevique tempore summam ad perfectionem est adducta. Primo quidem sane, ut in inchoandis omnibus fieri solet artibus, oratores Athenis exstiterunt haud ita multi, neque illi arte aut ratione erant instituti, sed indolem suam ingeniumque sequentes eloquentia utebantur innata et sermone simplici atque incompto, sed gravi eo nervosoque et vi sua, qua audientium pellebat animos, admirabili. Neque vero ita multo post cum populari imperio latius effuso etiam inferiores civium ordines reipublicae administrandae facti essent participes, non modo vitae forensis, verum etiam, id quod fieri necesse erat, artis oratoriae maius exortum est studium. Iam enim apparuit, cuiuscunque interesset auctoritate aliquid in republica valere conspicuumque et eminentem consequi locum, ei in hac arte, quippe quod validissimum honoris esset adiumentum, summam industriam maximamque operam esse collocandam. Quare si quis minus bona ad dicendum instructus erat indole, quod natura negaverat, disciplina explere cupiebat. Quae cum ita essent, forte evenit, ut Gorgias Leontinus a civibus suis legatus missus Athenas veniret ibique orationibus, quas et pro contione populi et in privatis hominum coetibus habebat, omnium animos oculosque in se converteret. Ex Sicilia enim oriundus, ubi eloquentiae et usus et ratio aliquamdiu iam florebat, dicendi adeo erat peritus, ut ad omnia, de quibus quisque audire volebat, paratus copiose et eleganter de qualibet re proposita diceret. Quid igitur mirum, quod Atheniensium, quippe qui his studiis iam favere coepissent, summam facile movit admirationem,

quodque non modo ipse, ut in Graecia remaneret, adductus artem suam, quam non sine iusta causa admodum quaestuosam fore magistris putabat, publice docere et tradere constituit, verum etiam magna aliorum rhetorum sophistarumque turba, qui et in disputando et in orationibus continuis habendis aeque bene ac Gorgias versati erant, ex omnibus regionibus et maxime quidem ex Sicilia et Magna Graecia in novam illam eloquentiae sedem migrare coepit? Accedebat, quod illo tempore Athenis relicta maiorum simplicitate veterisque disciplinae severitate non minus de rebus sacris quam de profanis tanta opinionum et sententiarum immutatio atque conversio fieri coeperat, ut in rebus divinis impietatem, levitatem in moribus, in rebus civilibus licentiam in dies magis magisque irrepere esset manifestum. Qua cum rerum Atheniensium condicione quoniam sophistarum doctrina illaque, quam in philosophando sequebantur, ratio et via plane congruebant, etiam ex hac parte, et cur Athenas illi undique concurrerint, et cur ibi tot omnium aetatum homines, qui cum ipsis sentirent, invenerint, quam maxime est perspicuum. Denique non omittenda est tertia aliqua nec ea ceteris levior res minorisve momenti, utpote quae effecerit, ut ne praestantissimi quidem homines sophistarum consuetudinem repudiarent. Erant enim illi magna et admirabili in studiis suis copia et varietate, cum omnium paene, quae tunc erant notae, disciplinarum aliqua saltem ex parte, nonnullarum etiam praeclare gnari ac periti essent. Qua scientia et cognitione etsi non ita utebantur, ut doctrinarum illarum praecepta traderent

rationemque docerent, tamen et multos, ut diximus, eruditissimos homines ea re ad se trahebant et id utilitatis inde percipiebant, quod materie ampla et copiosa ad orationes declamationesque nunquam carebant. Totam enim illam, qua instructi erant, scientiam ad rhetoricam et politicam referebant, quas artes praeter omnes ceteras adolescentibus necessarias arbitrabantur esse, quibusque omnes, qui scholis suis interessent, ita sese instituturos pollicebantur, ut et reipublicae regendae peritissimi et in dicendo adeo exercitati evaderent, ut etiam in iis, quae nescirent, diserti esse et hominibus, quidquid vellent, persuadere possent. In arte enim rhetorica, non ut rerum veritatem effingerent, sed ut de unaquaque re in utramque partem ad persuadendum apposite dicerent eorumque, qui audirent, animos, quocunque vellent, flecterent, imprimis et paene unice expetendum esse censebant. Itaque ad varia, quibus hominum animi capiuntur et irretiuntur, artificia descendere coacti, quod sibi proposuerant, fallacibus conclusiunculis confirmabant et in dialecticae captiones sese induebant et sermone blando et perpolito multisque orationis luminibus splendidissime exornato et ad numeros diligentissime alligato utebantur. Congruisse huic rhetoricae usui artes ab iis conscriptas vix opus est commemorare. Successere post paulo alii, qui, cum omni indole et eruditione carentes vitia sola magistrorum imitarentur resque tantummodo externas absurdo cum studio consectarentur, a vera eloquentia tam longe discedebant, ut ne umbra quidem artis remanere videretur. Sed iam tempus aderat, quo ars oratoria ad

illum, quo digna est, honorem revocaretur. Quemadmodum enim Socrates perniciosissimis sophistarum in philosophia institutis quasi molem et aggerem obiecerat, sic haud ita multo post Plato, Socraticorum longe praeclarissimus, eloquentiae ad inanem verborum strepitum depressae quasi vindex et ultor exstitit. Qui rhetoricae vim ac naturam cum bene haberet perspectam, ex rhetoribus et sophistis, qui usque ad id tempus artes et praecepta conscripserant, ne unum quidem muneri a se suscepto cognovit satisfecisse. Itaque primum quidem levitatem et negligentiam, quacum in hac re gravissima versati erant, liberrime notavit nugasque et ineptias, ad quas veram putantes artem sese consectari multi aberraverant, acerbissime perstrinxit. Deinde etsi plenam et accuratam componere artem non suum putabat esse, id tamen sibi faciendum censuit, ut quasi speciem rhetoricae adumbraret et naturam eius rationemque describeret et, vera oratoris quibus in rebus spectaretur ars, paucis exponeret. Et de his quidem omnibus partim in Phaedro partim in Gorgia tam prudenter disputavit tamque scite et perite iudicavit, ut sine dubio, id quod plerumque nimis est neglectum, ad haec Platonis scripta, quamquam summas tantum rerum attingunt, melioris et sanioris rhetoricae origo sit referenda.

Sed ne miremur, cur nulladum illo tempore plena ac perfecta in lucem prodierit institutio oratoria, non obliviscendum est, in omnibus artibus ita fere fieri, ut rationi usus, non usui ratio antecedat, et tum demum, cum ille aliquamdiu iam laete floruerit bonamque frugem tulerit, hanc prospere procedere subtiliusque excoli

posse. Sophistas autem ut mittamus, qui quid in arte dicendi effecerint, supra satis demonstratum est, homines vere eloquentes Athenis ante id, quo dialogi illi a Platone compositi sunt, tempus[1]) haud ita exstiterant multi: quorum de arte rhetorica merita etsi nequaquam contemnenda aut despicienda sunt, cum nonnulli eorum, Andocides, Antiphon, Lysias, ab Alexandrinis etiam decem illorum, quos maxime excellere putabant, Atticorum oratorum in ordinem iure ac merito sint redacti, eloquentiae tamen palma omnium consensu ei, quae Demosthenem, Aeschinem, Demadem, Lycurgum, Hyperidem florentes vidit, aetati est deferenda. Atque haec ipsa aetas cum tantam tam egregiorum oratorum quasi effunderet copiam, etiam rationi artis perpoliendae et ad summam perfectionem adducendae egregie favebat. Sedtamen propter rei amplitudinem atque difficultatem non primus quisque ad hoc opus suscipiendum aptus atque idoneus erat, sed homine opus erat diligenti, prudenti, docto, ingenioso, denique philosopho. Quid igitur opportunius et prosperius accidere poterat, quam ut ad opus hoc arduum accederet Aristoteles, in quo uno omnes eae, quas diximus, virtutes admirabilem in modum coniunctae et cumulatae essent? Qui omnium dicendi magistrorum libris diligentissime examinatis oratorumque omnium orationibus summo studio lectis

---

[1]) Quamvis enim magna virorum doctorum de Gorgiae et Phaedri tempore natali sit dissensio, id tamen constat inter omnes, neutrum dialogum post annum a. Chr. n. 387. vel 386. (Olymp. XCVIII. 2. vel 3.) litteris esse consignatum.

ac lectitatis amplissima materiae copia instructus tres de arte rhetorica conscripsit libros in omne tempus insignes et notabiles, quibus rei propositae omnibus ex partibus tam egregie satisfecit, ut per interiecta tot saecula retractatis totiens his studiis perfectius tamen in hoc genere nihil nec veterum nec recentiorum efficere potuerit industria.

Quae cum ita sint, cum principem omnium rhetorum locum facile obtineat Aristoteles, ante autem Aristotelem quotquot in hac arte posuerunt operam, eorum nemo aut anteferri aut aequipararari possit Platoni, quippe qui primus meliorem viam rationemque rhetoricae exercendae monstraverit, haud esse inutile mihi videtur, quae in Gorgia Phaedroque dialogis de arte dicendi tradidit Plato, cum Aristotelis libris rhetoricis comparare, consentiantque an dissentiant in singulis quibusque, de quibus ille disseruit, rebus diligenter accurateque quaerere. Qua quaestione excutienda cum ad illustrandam eam, quae omnino inter summos illos totius antiquitatis philosophos intercesserit, rationem nonnihil collatum iri putem, si ipse hoc munus subiero et, quantum in me est virium, explevero, propter rei gravitatem confido mihi non timendum fore, ne operam dicar perdidisse.

Priusquam tamen ad ipsam rem accedatur, silentio praetermittendum non videtur, in opusculo hoc conscribendo me virorum doctorum auxilio et adiumento paene prorsus destitutum meoque fere ubique pugnare Marte coactum fuisse. Latius enim et fusius de hac re, quam mihi proposui, nemo, quod sciam, disputavit.

Unus L. Spengelius, vir doctissimus idemque de Aristotelis libris et emendandis et critica ratione perscrutandis optime meritus, in duabus commentationibus, quarum alteram 'über das Studium der Rhetorik bei den Alten', alteram 'über die Rhetorik des Aristoteles' inscripsit, quarum utramque in commentationibus academiae Bavaricae classis philosophicae et philologicae, illam a. 1842., hanc a. 1851., edidit, nonnullas earum, quae mihi pertractandae erant, rerum breviter paucisque attigit, quos libellos me non sine aliquo emolumento perlegisse libere et libenter confiteor.

Sed iam ad ipsam aggredientes rem de nulla re prius quam de rhetoricae materia quaeramus, id quod ipse quoque Aristoteles ita fecit, quem hac quidem de re iuvabit audire priorem. Qui principio statim libri primi: *'Η ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος,* inquit, *τῇ διαλεκτικῇ· ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσὶν ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης.* Quibus verbis docet, analogia quadam sive proportione coniunctas esse rhetoricam et dialecticam, quippe cum ex hac parte consentiant, quod utraque in talibus versetur rebus, quae aliquo modo omnibus hominibus sint communes facileque ab omnibus cognosci possint neque ullius sint disciplinae certis finibus circumscriptae. Etenim dialecticae, quam dicit, ea est ratio, ut proficiscens ab iis, quae quaque de re vulgo statuuntur (*τὰ ἔνδοξα*), disputationibus ultro citroque habendis opiniones illas vulgares secum ipsas pugnare et inter se discrepare ostendat difficultatesque ita quasi exagitet atque excutiat, ut verum indagetur

et ad artium principia patefiat accessus[2]). Disputat igitur ac disserit dialecticus verum tentans et quasi experiendo aggrediens de omnibus rebus, quae in vulgari hominum opinione versantur quaeque ad commune iudicium popularemque intelligentiam sunt accommodatae; materia eius nullo certo genere continetur, sed amplissima est et quam latissime patet. Plane vero easdem res subiicit idemque quasi regnum illud latissimum concedit primis libri sui verbis Aristoteles oratori. Itaque cum ceteris omnibus artibus atque disciplinis certi quidam, extra quos egredi nequeant, cancelli sint constituti, una cum dialectica rhetoricam ab illis hac re separat atque seiungit, quod nullam eas definitam habere regionem docet, cuius terminis saeptae teneantur. Quod cum iis verbis, de quibus agimus, iam indicatum sit, tum paulo infra (I, 2. p. 1355 *b* 28. sqq.) exemplis illustratur copiosiusque hunc in modum exponitur: *Τῶν γὰρ ἄλλων (τεχνῶν) ἑκάστη περὶ τὸ αὑτῇ ὑποκείμενόν ἐστι διδασκαλικὴ καὶ πειστική, οἷον ἰατρικὴ περὶ ὑγιεινὸν καὶ νοσερὸν καὶ γεωμετρία περὶ τὰ συμβεβηκότα πάθη τοῖς μεγέθεσι καὶ ἀριθμητικὴ περὶ ἀριθμόν, ὁμοίως δὲ καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν· ἡ δὲ ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος ὡς εἰπεῖν δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν. διὸ καί φαμεν αὐτὴν οὐ περί τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν.* Cuius loci verba extrema cum sine ulla dubitatione principium totius libri respiciant, hoc nos docent, scriptorem ibi idem quod hic dixisse sibi visum esse. Ea

---

[2]) Cf. Trendelenburg. Elem. logic. Aristotel. adnotat. ad §. 33.

ipsa de causa verba illa, quae in initio leguntur, '*καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης*' ita accepimus, ut materiam rhetoricae nullius certae disciplinae finibus contineri, sed late patere statuant. Verum si per se spectantur, sic quoque licet ea interpretari, ut rhetorica ab iis rebus, quae in definitis doctrinis sint sitae, excludatur easque pertractare atque discutere oratoris esse negetur. Cui interpretandi rationi verba antecedentia magnopere favent; nam scriptor quoniam res omnibus communes et ad intelligendum faciles materiam efficere rhetoricae dixit, explicandi causa recte addere poterat, illas res omnibus communes esse eas, quae nullius essent doctrinae definitae. Ea enim omnia, quae ad definitae alicuius disciplinae vel artis leges doctrinasque pertinent, cum nemo, quin principia eius generis didicerit, perspiciat aut intelligat, neque communia sunt omnibus neque ab omnibus facile cognoscuntur. Sed concedo, propter locum illum, qui est in altero capite, hanc explicandi rationem videri reiiciendam. Neque tamen subducto hoc quasi adminiculo tota, quam instituimus, disputatio labefactatur aut corruit; immo in hac ipsum Aristotelem fuisse sententia, ut sermones de artium studiis ac legibus habendos ad oratoris munus pertinere non putaret, et, ut diximus, ex illis, quibus materiam rhetoricae circumscribit, verbis per se colligi potest et hisce duobus locis diserte confirmatur et comprobatur: I, 4. p. 1359*b* 12. *ὅσῳ δ' ἄν τις ἢ τὴν διαλεκτικὴν ἢ ταύτην* (i. e. *τὴν ῥητορικὴν*) *μὴ καθάπερ ἂν δυνάμεις ἀλλ' ἐπιστήμας πειρᾶται κατασκευάζειν, λήσεται τὴν φύσιν αὐτῶν ἀφανίσας τῷ μεταβαίνειν ἐπι-*

σκευάζων εἰς ἐπιστήμας ὑποκειμένων τινῶν πραγμάτων, et I, 2. p. 1358*a* 23. *ὅσῳ τις ἂν βέλτιον ἐκλέγηται τὰς* (sc. *περὶ ἕκαστον εἶδος καὶ γένος*) *προτάσεις, λήσει ποιήσας ἄλλην ἐπιστήμην τῆς διαλεκτικῆς καὶ ῥητορικῆς· ἂν γὰρ ἐντύχῃ ἀρχαῖς, οὐκέτι διαλεκτικὴ οὐδὲ ῥητορικὴ ἀλλ' ἐκείνη ἔσται ἧς ἔχει τὰς ἀρχάς.* Adde I, 2. p. 1357*a* 2., ubi oratoris munus in iis, de quibus artes non habeamus, positum esse dicit. Sed haec hactenus. Satis intelleximus, praeter res artium certarum proprias Aristotelem prorsus omnia oratori subiicere.

Aristoteles de materia rhetoricae quid statuat, quoniam exposuimus, sequitur, ut quaeramus, quid Plato de eadem re sensisse videatur. Gorgias in libro, qui nomine eius inscribitur, postquam sese rhetorem professus est, rhetoricam in quibusnam rebus versari censeat, a Socrate interrogatur (p. 449 *D.*). Cui ille paucissimis, in orationibus habendis eam versari, respondet. Quod nullarum rerum substantia adiecta nimis infinite dictum esse ubi Socrates ostendit postulavitque, ut adderet, qualibus in orationibus cerneretur rhetorica, quoniam eadem omnium ceterarum artium esset ratio, utpote quae et ipsae de iis rebus, quae ad ipsas pertinerent, verba facerent, sophistes a ceteris suam artem hoc ait differre, quod illae maximam partem ad opus faciendum spectent, haec tota et universa in orationibus occupata actionem omnem aspernetur. Sed ne hoc quidem sufficere Socrates demonstrat eam afferens causam, quod idem de arithmetica, de geometria, de multis aliis dici possit, quarum ille sine dubio nullam rhetoricae nomine sit appellaturus. Itaque idem de rhetorica

Gorgiae esse faciendum, quod facere debeat is, qui vel arithmeticae vel astronomiae vim et naturam explicare iussus sit; neque enim satis esse dicere, earum has esse artium ex numero, quae id, quod ipsis propositum sit, orationibus consequantur, sed definite dicendum esse, quid sit, de quo suas quaeque instituat orationes. Neque tamen eo magis sophistes, ut presse respondeat, adducitur. Circuitione et amfractu usus (p. 451 *D.*) disputationem clam eo transducit, ut de vi et efficacitate rhetoricae loquatur (p. 452 *E.*), quaestione illa de materia in medio relicta. Itaque paulo post Socrates huc eum revocat (p. 453 *B.*) eique hoc tandem extorquet, ut ad iusta et iniusta pertinere rhetoricam pronuntiet (p. 454 *B.*). Deinde interposita alia quaestione rursus de materia disserere pergitur (p. 455 *B.*), sciscitante Socrate, num re vera orator tam artis et circumcisis finibus contineatur, ut de iusto tantum et iniusto ei sit dicendum. Cui opinioni neque Socratem neque, qui eius personae subest, Platonem assentiri, ex multis illis et variis, quae proponuntur, exemplis earum rerum, quas Gorgias a rhetorica exclusas velle videatur, quam maxime perspicuum est atque apertum. Quibus ipse Gorgias, quantum de arte sua inconsiderate detraxerit, commonefactus iam relicta priori sententia eo procedit, ut nullam prorsus esse rem contendat, de qua apud hominum multitudinem orator non ad persuadendum aptius quam ipse ille eius rei opifex et artifex sit dicturus. *Οὐ γάρ ἐστι*, inquit, *περὶ ὅτου οὐκ ἂν πιθανώτερον εἴποι ὁ ῥητορικὸς ἢ ἄλλος ὁστισοῦν τῶν δημιουργῶν ἐν πλήθει* (p. 456 *C.*); neque ita multo post

(p. 457 *A.*): *δυνατὸς μὲν γὰρ πρὸς ἅπαντάς ἐστιν ὁ ῥήτωρ καὶ περὶ παντὸς λέγειν, ὥστε πιθανώτερος εἶναι ἐν τοῖς πλήθεσιν ἔμβραχυ περὶ ὅτου ἂν βούληται.* Deinde vero quia addit, nihilo minus recte ac iuste rhetorica esse utendum suumque cuique arti tribuendum, in hanc quaestionem, num possit omnino orator arte sua male uti, totus sermo abit, ac ne postea quidem ullum per totum dialogum de ea re, quam quaerimus, verbum adiicitur. Dubitari igitur possit, qua in sententia ipse Plato fuisse putandus sit, idque eo magis, quod in altero illo, qui Phaedrus inscribitur, libro de materia rhetoricae non disputatur. Verum enim vero num cuiquam credibile videatur, hanc quaestionem, cum per totum paene, qui cum Gorgia habetur, sermonem continuetur summoque studio excutiatur, tamen post tam longam disceptationem in medio esse relictam? Nonne id ipsum, quod sententia illa ad extremum a sophista proposita ne verbo quidem a Socrate tentatur aut impugnatur, signo ac documento est, hanc fere et ipsius Platonis fuisse opinionem? Quod idem multis aliis confirmatur argumentis. Primum quidem locus ille, quem supra laudavimus, quo quaeritur, num de iis tantum, quae sint iusta aut iniusta, oratori dicendum sit, quam evidentissime demonstrat, multum abfuisse, ut Platoni certis finibus dicendi ars circumscribi posse videretur. Facit enim Socratem ibi (p. 455 *B.*) hunc in modum loquentem: si verum sit, quod Gorgias statuerit, neque cum aut de medico aut de navium architecto aut de aliis opificibus publicis eligendis deliberetur, neque aut de muris aedificandis aut de por-

tubus faciendis aut de navalibus constituendis, neque aut de exercituum ducibus creandis aut de rationibus bellorum describendis aut de locis munitis occupandis oratorem esse audiendum. Ipse tamen, id quod ipsa verba docent, plane aliter iudicavit omnesque has res diversissimas oratori dicendi materiam esse posse existimavit. Accedit, quod Plato, ut infra fusius et latius exponemus, in tribus omnino statuit quaestionibus omnes orationes esse occupatas: aut enim de iusto aut de utili aut de honesto oratori verba facienda esse unicuique, quaecunque sit causa agenda. Quid vero, quaeso, praeter res ad definitas artes spectantes inveniri aut excogitari omnino possit, quin unam aliquam ex his admittat quaestionibus? Auctor est Aristoteles, qui cum praeter artium studia, id quod supra ostendimus, nihil non arbitretur in oratoris officium posse cadere, tamen eosdem illos, quos Plato statuit, fines (*τέλη*) orationibus omnibus propositos esse docet. Quis igitur est, cui non omnis de Platonis sententia eximatur ac tollatur dubitatio? Firmissime asseverari potest, in hac re eum plane cum Aristotele consentire. Supervacaneum est commemorare, Quintilianum non aliter ac nos iudicasse, praesertim cum eorum, quae affert, argumentorum alterum prorsus infirmum sit, ne dicam ineptum, alterum verbis Platonis non satis recte intellectis et explicatis nitatur[3]). Denique accedit, quod, qui opinioni nostrae

[3]) Sunt Quintiliani in Institut. Orator. libr. II. c. 21. §. 4. verba haec: 'Ego (neque id sine auctoribus) materiam esse rhetorices iudico omnes res, quaecunque ei ad dicendum subiectae sint. Nam Socrates apud Platonem dicere Gorgiae videtur, non

repugnet, locus apud Platonem exstat omnino nullus. Iure igitur ac merito Spengelium de ea re, quam quaerimus, haec proferentem (über die Rhetorik des Aristoteles p. 458.): ‘Socrates will durchaus ein materielles Gebiet, festen Stoff und Gehalt von ihr haben, was der ächte Gorgias wohl so wenig als Aristoteles zugegeben haben würde’ erroris arguere recteque contendere mihi videor, quod Spengelius Socrati Platonico supposuerit, id ne Platonem quidem concessurum fuisse. At forsitan quispiam dixerit, Socratem per totam priorem sermonis partem id agere, ut definire sophistam cogat, quibus in rebus versentur eae, quibus rhetorica utatur, orationes, eumque aperte negare, ad omnes res artem oratoriam pertinere, hoc exemplo id illustrantem: oratoris haud dubie non esse exsequi, qua vivendi ratione aegroti a morbis recreentur (p. 449 *E.*). Audio, neque tamen ex his effici cogique potest, certo aliquo rerum genere eum

---

in verbis esse materiam, sed in rebus. Et in Phaedro palam, non in iudiciis modo et contionibus, sed in rebus etiam privatis ac domesticis rhetoricen esse, demonstrat. Quo manifestum est, hanc opinionem ipsius Platonis fuisse.’ Argumentum, quo utitur, alterum, sumptum illud ex Gorgia, quo in dialogo inde a p. 451 *A.* Socrates, ut diximus, sophistam conatur adducere, ut, quibus de rebus rhetorica faciat verba, explicet, ad comprobandum id, quod voluit Quintilianus comprobare, plane nullius esse momenti, nemo erit quin sentiat. Phaedri, quem laudat, locus invenitur ibi p. 261 *A.*, quo loco Socrates haec est loquens: *Ἆρ᾽ οὖν οὐ τὸ μὲν ὅλον ἡ ῥητορικὴ ἂν εἴη τέχνη ψυχαγωγία τις διὰ λόγων, οὐ μόνον ἐν δικαστηρίοις καὶ ὅσοι ἄλλοι δημόσιοι σύλλογοι, ἀλλὰ καὶ ἐν ἰδίοις;* ubi patet verba *ἐν ἰδίοις* non, quod putat Quintilianus, ‘in rebus privatis ac domesticis’, sed ‘in coetibus hominum privatis’ significare.

rhetoricam voluisse coercere. Nam tota illa disputatio nihil docet aliud, nisi Platonem cum Stagirita consentientem et ipsum res artis alicuius vel disciplinae proprias a dicendi arte putasse alienas. Quibus si id, quod ex iis sequitur, addidisset, rhetoricam, cum a sermonibus de artium studiis doctrinaque habendis abhorreat, in rebus ad sensum popularem vulgaremque accommodatis versari, omnino non esset, quod comparatione cum Aristotele facta apud Platonem desideraremus.

Quae cum ita sint, etsi haec propria Aristotelis est laus, quod dialecticae mentione illata rhetoricam non solam tam late patere docuit, cetera tamen iam Platonem aeque bene perspexisse et de summa rei plane idem atque Aristotelem sensisse optimo iure videtur posse contendi.

Quoniam hanc de materia rhetoricae quaestionem, quam, ut operis sui Aristoteles, ita nos opusculi nostri in principio collocandam esse duximus, satis excussimus atque illustravimus, age iam examinemus, qua lege singulas quasque res in rhetoricam cadere ubique artem dicendi habere locum uterque sit arbitratus philosophus. Qua quidem de re Aristoteles sic iudicat (I, 2. p. 1357*a* 2.—7.): censet rhetoricae munus circa eiusmodi esse res, de quibus consultetur; consultari autem de iis, quae utroque modo se habere posse videantur; neque enim de iis, quae esse non possit ut aliter vel facta sint vel futura sint vel se habeant, quemquam consultare; nihil enim hoc iuvare nullique esse usui (*οὐδὲν γὰρ πλέον*). Oratoris autem opera tum unaquaque in re putat esse opus, cum, quae eius sit ratio, non satis constet, sed

quaestio aliqua de ea exsistere aut dubitatio moveri possit, cumque de ea sit deliberandum et homines in diversas possint discedere sententias (*ἀμφιδοξεῖν* I, 2. p. 1356*a* 8.); hoc enim fieri non potest nisi in rebus, quae quid dubii habeant atque incerti. — Quae, si deliberativum et iudiciale causarum spectantur genera, rectissime esse disputata, ut vix erit qui infitietur, ita, quoniam de arte oratoria universa haec statuit Aristoteles, haud defuturos puto eos, qui dubitent, num pariter atque in illa in tertium, quod *ἐπιδεικτικὸν* vocat, genus haec cadere videantur. Ipse enim etiam scriptor oratores, qui in hoc genere versentur, facta eorum, quos laudent aut vituperent, pro certis et concessis sumere ait. V. I, 9. p. 1368*a* 28. *τὰς γὰρ πράξεις ὁμολογουμένας λαμβάνουσιν* (*οἱ ἐπιδεικτικοὶ λόγοι*), et III, 17. p. 1417*b* 31. *ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς τὸ πολύ, ὅτι καλὰ καὶ ὠφέλιμα, ἡ αὔξησις ἔσται· τὰ γὰρ πράγματα δεῖ πιστεύεσθαι.* At vero utrum quidque honeste an turpiter quamque honeste aut turpiter factum esse putandum quantaque laude aut vituperatione dignum sit, antequam orator dixerit; nequaquam omnibus satis apparuerit aut extra omnem controversiam situm fuerit. Itaque apertum est, etiam huius generis causas deliberationem postulare litemque et quaestionem admittere. Haud igitur iniuria Aristoteles, ubi consultetur, rhetoricae esse locum dicit.

Plato, qui eandem hanc quaestionem in Phaedro breviter strictimque attingit, plus valere rhetoricam in ambiguis incertisque rebus iudicat. V. p. 263 *B*. *ΣΩ*. *Ἡ ῥητορικὴ ἐν ποτέροις* (i. e. *πότερον ἐν οἷς συμφωνοῦ-*

μεν ἢ ἐν οἷς οὔ) μεῖζον δύναται; ΦΑΙ. Δῆλον ὅτι ἐν οἷς πλανώμεθα. Quae verba qui premit, non potest, quin credat, eum ab iis rebus, de quibus nulla esset dissensio, hanc artem non putasse alienam. Quae opinio cum Aristotelis sententiae repugnet, quam rectam et veram esse demonstravimus, nihil relinquitur, nisi ut Platonem aut minus acriter hanc rem perspexisse aut, id quod veri mihi videtur esse similius, verba illa non aurificis statera examinasse credamus.

Aristoteles quoniam, ut modo exposuimus, in talibus rebus, quae in consultationem veniant, rhetoricam versari docet, de vi et natura eius quid sentire necessario debuerit, facile cognoscitur. Namque cum omnia, de quibus consultatur, id quod ipse scriptor accuratissime explicavit (I, 2. p. 1357*a* 4.—7. et 24.—27.), etiam aliter se habere possint, oratori de eiusmodi rebus semper, quae nullam habeant necessitatem, dicendum esse apparet. Unde primum sequitur, ut scientia, quippe quae non pertineat nisi ad necessaria (cf. Aristot. Analyt. Post. I, 33. init. p. 88*b* 31. *ἡ μὲν ἐπιστήμη καθόλου καὶ δι' ἀναγκαίων, τὸ δ' ἀναγκαῖον οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν),* omnino nullum hic habeat locum, sed ut in omnibus, in quibus haec ars occupata est, rebus regnet opinio (ibid. p. 89*a* 2. *λείπεται δόξαν εἶναι περὶ τὸ ἀληθὲς μὲν ἢ ψεῦδος, ἐνδεχόμενον δὲ καὶ ἄλλως ἔχειν*). Deinde consequens est, ut orator non doceat; neque enim quisquam, nisi qui scit, potest docere; tum, ut rem, de qua agit, necessario ita, ut dicat, se habere non possit demonstrare aut evincere (cf. Aristot. Ethic. Nicom. I, 1. p. 1094*b* 25. *παραπλήσιον γὰρ φαίνεται μαθηματικοῦ*

τε πιθανολογοῦντος ἀποδέχεσθαι καὶ ῥητορικὸν ἀποδεί-ξεις ἀπαιτεῖν); neque enim licet hoc facere in iis, quae sic et secus se possint habere. Immo vero consentaneum est, eum fidem tantum rei suae posse afferre probabilitatemque conciliare et ut, quae dicit, vera putent, qui audiunt, efficere. Quibus nos ipsius Aristotelis voluntatem cogitationemque esse interpretatos, haec argumenta ex libris eius rhetoricis sumpta confirmabunt. Primum rationes sive argumenta, quibus utatur rhetorica, non *ἀποδείξεις*, sed *πίστεις* vocat, utpote quibus non certa scientia gignatur, sed fides (*ἡ πίστις, τὸ πιστεύειν*) efficiatur. Deinde aliquo loco (I, 2. p. 1356*a* 8.) dicit, huic arti tales res esse subiectas, in quibus nulla sit subtilitas (*ἐν οἷς τὸ ἀκριβὲς μή ἐστιν*); altero loco (I, 1. p. 1355*a* 14.), veri simile (*τὸ ὅμοιον τῷ ἀληθεῖ*) oratori esse spectandum; tertio (ibid. v. 17.), eius esse probabilia consectari (*πρὸς τὰ ἔνδοξα στοχαστικῶς ἔχειν*, cf. I, 2. p. 1356*b* 32.); quarto (II, 1. p. 1377*b* 23.), videndum esse, ut fide digna sit oratio. Denique hanc artem definit facultatem videndi, quid quaque in re possit esse *πιθανόν*, i. e. ad fidem faciendam accommodatum (I, 2. init.). Postremo, ubi hanc definitionem confirmat ostenditque, rhetoricam sic ab omnibus ceteris artibus accurate distingui, cum de his quidem haec faciat verba: *τῶν γὰρ ἄλλων* (*τεχνῶν*) *ἑκάστη περὶ τὸ αὑτῇ ὑποκείμενόν ἐστι διδασκαλικὴ καὶ πειστική*, de rhetorica cavens ne verbo *διδάσκειν* utatur, quid sit ad fidem faciendam idoneum, posse eam considerare dicit (I, 2. p. 1355*b* 33.). Quid igitur? nonne apertissima est Aristotelis de hac re sententia?

Plato, ut de materia, ita de vi et natura rhetoricae in priori dialogi, qui Gorgias inscribitur, parte Socratem et sophistam facit disserentes. Etenim quia hic quidem in disputatione de rhetoricae materia instituta, ut saepe ea, quae interrogata sunt, parum curat, ad gloriosam artis suae laudationem aberravit ac declinavit (p. 451 *D*. et 452 *D*.), Socrates et ipse paulisper rem propositam relinquit, quamque ille admiscuit de vi et virtute rhetoricae quaestionem excutere coepit. Ac primum quidem postquam interrogando, qua in re tantam illam vim, quantam de arte sua praedicet, positam esse censeat, sophistae id expressit, ut propter persuasionem, quam efficiat, oratorem tantum valere fateatur, illum inde in ea sententia esse cogit colligitque, ut rhetoricam esse persuadendi opificem (*πειθοῦς δημιουργὸν*) existimet (p. 453 *A*.). Affirmat hoc Gorgias. Deinde Socrates paucis evidenter demonstrat, ita rhetoricam non satis secerni ab aliis artibus; persuadere enim unumquemque, qui doceat; omnes igitur artes, quae quid doceant, persuadendi opifices dici posse. Qua de causa quaerit, qualis sit persuasio, quam efficiat rhetorica[4]). Respondet ille, rhetoricam eius persuasionis esse artem, quae in iudiciis et aliis hominum coetibus regnet (p. 454 *B*.). Quibus ex verbis Socrates intelligens, sophistam nequaquam satis firme aut plane rem habere animo conceptam, ad id, quod respondere debeat, eum adducit et dirigit hanc viam rationemque ingrediens: apparere ait,

---

[4]) Omitto hic ea, quae de rhetoricae materia adiiciuntur, quoniam de hac re supra dictum est.

aliud esse scientiam (*ἐπιστήμην*), aliud fidem (*πίστιν*); nam illam quidem semper veram esse, hanc et veram et falsam esse posse; quaeri igitur, utrum rhetorica eam persuasionem efficiat, ex qua fides, an eam, ex qua scientia oriatur. Concedit Gorgias, rhetorica effici fidem. Iam Socrates totam hanc disputationem concludit hisce verbis (p. 455 *A.*): *Οὐδ' ἄρα διδασκαλικὸς ὁ ῥήτωρ ἐστὶ δικαστηρίων τε καὶ τῶν ἄλλων ὄχλων .....*, *ἀλλὰ πιστικὸς*[5]) *μόνον.* Quibus ipsius Platonis explicari sententiam, facile inde potest cognosci, quod Socratem, cuius persona solet, quid ipse sentiat, significare, argumento aliquo id facit confirmantem; sunt enim haec Socratis verba, iis, quae laudavimus, adiecta: *Οὐ γὰρ δήπου ὄχλον γ' ἂν δύναιτο τοσοῦτον ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ διδάξαι οὕτω μεγάλα πράγματα.* Verum nihilo secius aliquis de hac re videatur restare scrupulus. Etenim Plato, id quod fugere neminem potest, qui hunc dialogum paulo attentius perlegerit, omnia, quae in hoc libro de rhetorica disputat, hoc maxime consilio pertractat, ut aperiat et ostendat, quid de perversa illa et corrupta arte dicendi iudicet, quae Athenis ea aetate a sophistis potissimum factitabatur. Qua de causa in hanc fortasse

---

[5]) Jure Stallbaumius contra eos, qui cum aliquot libris *πειστικός* scribere maluerunt, vocem *πιστικός* defendit, propter disputationis tenorem eam flagitari recte iudicans. Namque profecto satis inepte fecisset Plato, si in fine huius sermonis, qui totus eo pertinet, ut, utrum persuadendo doceat an fidem faciat orator, appareat, voce *πειστικός* esset usus, quae plane eandem, quam *πείθειν* et *πειθώ*, habet ambiguitatem. Accedit, quod de forma vocabuli non est quod dubites.

quispiam adducatur opinionem, ut putet, perinde ac multa alia, quae in hoc libro legantur, ita ea, quae de vi et natura rhetoricae disserantur, non tam ad artem dicendi universam, quam ad pravum eius falsumque usum esse referenda, Platonemque orator perfectus vereque eloquens non solum fidem faceret sed doceret voluisse. Quod si quis suspicetur, eum meliora docebit hic, qui in Phaedro (p. 269 *D.*) invenitur, locus: *Ἀλλὰ δὴ τὴν τοῦ τῷ ὄντι ῥητορικοῦ τε καὶ πιθανοῦ τέχνην πῶς καὶ πόθεν ἄν τις δύναιτο πορίσασθαι;* ubi verus orator vocatur *πιθανός*. Haec autem vox, etsi a verbo *πείθειν* est derivata, quod, ut Plato acriter animadvertit, diversitatem potest capere significationis, plane nihil habet ambigui, cum ex communi sermonis Graeci consuetudine non dicatur nisi de iis, qui quid probabile reddunt sive probabiliter et ad fidem faciendam apte loquuntur, neque ad eos pertineat, qui quas tradunt res pro certis docent atque necessarie demonstrant. Huic argumento neminem spero fore quin cedat. Certissimum igitur est, verba illa '*οὐδ' ἄρα διδασκαλικὸς ὁ ῥήτωρ ἐστίν, ἀλλὰ πιστικὸς μόνον*' re vera Platonis de totius artis oratoriae vi ac natura explicare sententiam[6]). Atque in hoc quidem Aristotelem, ut erat necesse, magistro suo praeclarissimo prorsus esse assensum, ex iis, quae supra disputavimus, satis est perspicuum. — Ceterum admodum est veri simile, Platonem omnium pri-

[6]) His refellitur et redarguitur Stallbaumius, qui in praefatione ad Gorgiam (edit. prim. a. 1828. p. 21.) multum dicit abesse, ut philosophus in hoc libro, quanam in re vis rhetoricae ac natura cernatur, subtilius aperiat.

mum gravissimam hanc quaestionem excussisse. Nam primum quidem sophistas, qui soli, quantum scimus, antea artes conscripserant, diversitatem illam, quam inter rhetoricam et doctrinas disciplinasque intercedere docet Plato, recte perspexisse aut de hac re accurate quaesivisse, per se parum est credibile. Deinde si quaestioni huic a prioribus iam satisfactum fuisset, Plato tota, quam in Gorgia instituit, disputatione poterat supersedere; quid enim attinet acta agere? Denique haec, si ab aliis fuissent excogitata, a se ipso esse inventa certe non simulasset. Quibus de causis hanc iure tribuere mihi videor laudem Platoni.

Finis oratori propositus (*τέλος*) summumque et ultimum, quo tota eius ars tendat quodque studeat semper consequi, et ex Platonis et ex Aristotelis sententia est persuadere, i. e. eos, qui audiunt, in id, quod velit orator, dicendo ducere. Plato hoc diserte dicit Phaedri aliquo loco, quo orator animi accuratam notitiam habeat necesse esse exponit huiusque rei hanc causam affert: *πειθὼ γὰρ ἐν τούτῳ* (i. e. *ἐν τῇ ψυχῇ*) *ποιεῖν ἐπιχειρεῖ* (p. 271 *A.*). Aristoteles quamquam de fine rhetoricae nihil explicat, tamen, quid senserit, ex iis, quae de oratoris officio exponit, de quo mox dicemus, sine ullo negotio intelligitur. Dicit enim ibi, rhetoricae eandem esse rationem, quae sit medicinae; quae similitudo, quoniam officium illius esse persuadere, huius sanum facere negat, finem autem medici esse curatione sanare patet, foede claudicaret, nisi artis oratoriae esse finem persuadere censuisset. Idem aliis locis facile potest comprobari; sed quid plura de re certissima?

De officio rhetoricae Aristoteles haec disputat (I, 1. p. 1355*b* 10. sqq.): Officium (*ἔργον*) eius est, inquit, non persuadere, sed videre omnia, quae quaque in re ad persuadendum sive ad fidem faciendam sunt accommodata, quae eadem ceterarum artium omnium est ratio; nam ne medicinae quidem est sanum facere, sed, quo usque fieri potest, eo usque provehere ac perducere (*προαγαγεῖν*); licet enim etiam eos, qui sanitatem recuperare non queunt, tamen bene curare. — Quae quo iure disputaverit, haud est obscurum. Plane enim similiter, ac medicus propter morbi eorum, quos curat, gravitatem, ut omnia secundum rationem artisque suae praecepta faciat, saepenumero operam frustra consumit nec sanitatem aegris restituere potest, oratori haud raro accidit, ut, licet ad rem, de qua dicit, probandam nihil eorum, quae in ipso fuerunt sita, neglexerit, tamen quam vult persuasionem audientium in animis non efficiat. Nequaquam enim eventus a sola ipsius oratoris voluntate proficiscitur, sed eorum, qui audiunt, propensum in ea, quae dicit, studium accedere debet. Qua de causa non minus ineptum est, ut orator persuadeat, quam ut medicus sanet, postulare; hic, si ad sanandum apposite curaverit, ille, si omnia ad persuadendum idonea in medium protulerit, officio suo satisfecerit; neque enim ultra hoc quidquam potest praestare. — Quod quidem eorum, qui ante Aristotelem artes conscripserant, omnino nemo videtur habuisse perspectum; omnes certe, qui rhetoricam *πειθοῦς δημιουργόν*, i. e. persuadendi opificem sive effectricem, definiverant, quam definitionem antea communi fuisse in usu paene pro certo potest affir-

mari[7]), eo errore fuerant implicati, quod rhetoricae munus esse persuadere existimabant. — Apud Platonem de eadem illa definitione sermo est in Gorgia. Etenim postquam sophistes gloriatus est, sese posse in quolibet hominum coetu orationis vi persuadere, Socrates: Nunc, inquit, videris mihi, Gorgia, ita ut proxime ad rem accesseris, rhetoricam quamnam artem putares esse, declarasse, et si equidem recte intelligo, dicis eam persuadendi opificem (p. 453 *A.*). Quibus ex verbis facile colligi potest, Platonem hanc rhetoricae definitionem consensu suo non plane comprobasse, sed habuisse, quod in ea reprehenderet; ponitur enim haec manifesto Gorgiae, non Socratis sententia. Quod confirmatur iis, quae deinceps disputantur. Exponit enim Socrates, quoniam rhetorica non sola persuadendi sit opifex, definitionem eam parum esse accuratam; addendum enim esse, et qualem ars oratoria efficiat persuasionem, et quibus de rebus persuadeat. Itaque assentiente sophista haec tandem proponitur definitio (p. 455 *A.*): *Ἡ ῥητορικὴ πειθοῦς δημιουργός ἐστι πιστευτικῆς ἀλλ' οὐ διδασκαλικῆς περὶ τὸ*.

---

[7]) Errat Quintilianus in Instit. Orat. libr. II. c. 15. §. 4. hanc opinionem pronuntians originem duxisse ab Isocrate. Iam a Gorgia rhetoricam definitam esse persuadendi opificem ex libro Platonis cognoscitur, qui eius sophistae inscribitur nomine. Sed ne hic quidem primus, sed ante eum iam Tisias et Corax, artium scriptores antiquissimi, hac usi sunt definitione, si quidem fides est habenda Auctori Prolegg. in Hermog., apud quem (p. 8.) haec leguntur: *Ἀλλ' ἔλθωμεν καὶ εἴπωμεν τί ἐστι ῥητορική. Οἱ περὶ Τισίαν καὶ Κόρακα ὁρίζονται αὐτὴν οὕτως· Ῥητορική ἐστι πειθοῦς δημιουργός* (cf. L. Spengelii *συναγ. τεχν.* Stuttg. a. 1828. ed. p. 34.).

δίκαιόν τε καὶ ἄδικον, quae postea ita tantum immutatur, ut, quod Gorgias de rhetoricae materia perperam statuit, refutetur et emendetur. Reprehendit igitur Socrates quam Gorgias probavit definitionem eo solo nomine, quod numeris suis non sit absoluta; neque vero eam omnino reiicit aut pravam vitiosamque esse ostendit. Qua de causa, cum ne in Phaedro quidem ullus exstet locus, quo Platonem, quid orator deberet praestare, satis plane animo habuisse conceptum evincatur, etsi non praecise negare, multo tamen minus pro certo affirmare ausim, hac de re ceteris aetatis suae rhetoribus eum iudicavisse rectius.

Venimus iam ad eam quaestionem, in qua philosophi nostri utpote veritatis virtutisque amantissimi a sophistis non poterant non quam vehementissime dissidere ac dissentire. Isti enim ut artis oratoriae rationes putarent cum veritate et honestate coniunctas esse debere, tantum aberat, ut neque fallaciis fraudibusque audientium animos capere aut sedulo dataque opera in errorem inducere, neque consilia publice ineunda consulto flectere in peius, neque turpitudinis aut iniustitiae causam agere probro sibi esse aut dedecori existimarent. Immo nihil antiquius habebant, quam ut vel pessimae cuique rei fidem afferrent, detraherent vel optimae, ut meliorem causam peiorem, peiorem redderent meliorem (*τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*), ut vera converterent in falsa, falsis veri speciem induerent. Hunc perversum perniciosumque rhetoricae usum uno ore unoque animo condemnant Plato et Aristoteles. Nam hic quidem in Phaedro sophistis, ita potissimum, ut pravum eorum

studium derideat, haec exprobrat criminique dat, quod rhetoricae ope efficiant, ut et iudicibus eadem modo iusta modo iniusta, et populo in contionibus eadem modo bona modo mala esse videantur (Phaedr. p. 261 *D.*), quod praeter rerum veritatem parva augeant et amplificent, magna minuant et extenuent (p. 267 *A.*), quod unice veri speciem et probabilitatem sectentur (p. 260 *A.* 267 *A.* 272 *E.*), ideoque praecipiant, ut orator ne ea quidem, quae re vera facta sint, nisi probabiliter sint facta, veritati convenienter referat (p. 272 *E.*), denique quod, ut propositum suum assequantur, nullum mendacium, nullam malam artem repudient aut aspernentur (p. 273 *B.*). Ut de his omnibus Plato obiurgat sophistas, ita, quomodo ipse artem oratoriam velit exerceri, sub finem huius dialogi (p. 273 *E.*) declarat praeclarissimam hanc vocem edens: sapientem virum in rhetorica ita debere versari idque spectare, ut semper talia dicat, quae grata et accepta sint diis immortalibus. Quo quid rectius, quid pulchrius potest cogitari? At vero ne Aristoteles quidem aliter sensit, sed ipse quoque summas oratori leges has voluit esse, ut ne mala in dicendo consilia sequeretur neve fraudibus malisque artibus uteretur. Illud diserte dicit eo loco, quo eloquentiae arma in utramque valere partem exponit (I, 1. p. 1355 *a* 29. sqq.), ubi haec fere eius sunt verba: Oportet, ait, de contrariis posse persuadere, non ut utrumque faciamus — neque enim fas est de malis persuadere — sed ne praetereat nos, quomodo quaeque res se habeat, et ut, si quis alius dicendi facultate iniuste utatur, ipsi habeamus, quomodo eum refellamus. —

Alterum num recte statuatur, dubitet fortasse quispiam propterea, quod Aristoteles in libro altero (c. 24.) etiam eos locos recenset, ex quibus quae videntur quidem esse neque tamen sunt enthymemata ducuntur (*τόπους τῶν φαινομένων ἐνθυμημάτων*). Sed quid de his iudicaverit, ipse haud obscure est professus. Etenim postquam multis aliis locis enumeratis postremo eiusmodi enthymemata tum fieri exposuit, cum, quae cum adiunctione veri similia sint, ita proferantur, quasi simpliciter sint veri similia (*παρὰ τὸ μὴ ἁπλῶς εἰκὸς ἀλλὰ τὶ εἰκός*), hunc in modum pergit disputare (II, 24. p. 1402*a* 24.): *καὶ τὸ τὸν ἥττω δὲ λόγον κρείττω ποιεῖν τοῦτ' ἐστίν. καὶ ἐντεῦθεν δικαίως ἐδυσχέραινον οἱ ἄνθρωποι τὸ Πρωταγόρου ἐπάγγελμα· ψεῦδός τε γάρ ἐστι, καὶ οὐκ ἀληθὲς ἀλλὰ φαινόμενον εἰκός.* Quibus verbis illud sophistarum '*τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*', quod primum iactasse Protagoram ex ipso hoc loco discimus, indignabundus castigat et reprehendit, idque ideo, quod mendaciis et talibus, quae speciem tantum probabilitatis habeant, rationibus nitatur. Ex quo quis non cognoscat, omnes rhetorum fallacias Aristoteli improbatas fuisse, eumque omnes malae artes rationesque fraudulentae et a veritate disiunctae procul abessent a rhetorica voluisse? — Qua in re quamquam plane consensit cum Platone, tamen eo usque non processit, ut ei, qui iniuste aut improbe dicendi facultate uteretur, oratoris nomen abiudicandum aut eripiendum putaret, qua in sententia Platonem fuisse haud difficile est probatu. Etenim ille in Gorgia (p. 459 *D*.—460 *C*.) sic fere argumentatur. Ponit primum, utique necesse

esse orator, quid sit iustum et iniustum, didicerit iustitiaeque et iniustitiae naturam ac rationem cognitam habeat. Quo posito per inductionem concludit, eum, qui iusta didicerit, iustum esse[8]), ex quo efficit, orator iustus sit necesse esse. Hoc comprobato deinceps explicat, hominem iustum semper velle iuste facere, iniuste igitur nunquam velle facere; unde cogit, ne oratorem quidem, utpote quem iustum esse demonstratum sit, unquam iniuste agere velle, neque eum omnino posse iniuste arte rhetorica uti. V. p. 461 *A. ὁμολογεῖται τὸν ῥητορικὸν ἀδύνατον εἶναι ἀδίκως χρῆσθαι τῇ ῥητορικῇ*[9]). Ex hoc necessario sequitur, ut Plato

---

[8]) Is, qui sequitur, locus sine ulla dubitatione aliquid vitii contraxit; neque enim recte procedit argumentatio. Quod cum intellexissent viri docti, varias ad eum emendandum inierunt rationes, sed valde vereor, ne nemo eorum verum viderit. Mihi enim ista '*ὁ δὲ δίκαιος δίκαιά που πράττει*' subditicia videntur esse, cum et ratiocinationem interrumpant (nam postquam eum, qui iusta didicerit, iustum esse effectum est, concludi debebat, oratorum iustum esse), neque quidquam ad rem faciant, sed plane sint inutilia. Quid enim opus est dicere, iustum iuste agere, ut probetur, iustum iuste velle agere? Nonne hoc per se intelligitur? Quocirca totum locum sic reficiendum censeo: *ΣΩ. Οὐκοῦν κατὰ τοῦτον τὸν λόγον καὶ ὁ τὰ δίκαια μεμαθηκὼς δίκαιος; ΓΟΡ. Πάντως δήπου. ΣΩ. Οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι; ΓΟΡ. Ναί. ΣΩ. Τὸν δὲ δίκαιον δίκαια βούλεσθαι πράττειν; κ. τ. λ.* In eo nemo offendet, quod aliis rationibus interiectis, ubi ad oratorem reditur, id, quod antea conclusum est, repetitur: *τὸν δὲ ῥητορικὸν ἀνάγκη ἐκ τοῦ λόγου δίκαιον εἶναι.*

[9]) Hanc ad opinionem quod Plato lapsus est, minime mirandum, quoniam utpote Socraticus virtutem scientia boni contineri arbitrabatur. Aristoteles etsi illud ne ipse quidem negaturus

eos, qui improbe arte dicendi uterentur, quod qui facerent nunquam defuerunt, oratores esse non putaverit nec nisi viro probo oratoris nomen concessum voluerit. A quo discrepat Aristoteles, qui et bonum et malum hominem dicendi peritum esse oratorem argumento simplicissimo confirmat (I, 1. p. 1355*b* 15. sqq.). *Φανερόν*, inquit, *ὅτι τῆς αὐτῆς τό τε πιθανὸν καὶ τὸ φαινόμενον ἰδεῖν πιθανόν, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῆς διαλεκτικῆς συλλογισμόν τε καὶ φαινόμενον συλλογισμόν. ὁ γὰρ σοφιστικὸς οὐκ ἐν τῇ δυνάμει ἀλλ᾽ ἐν τῇ προαιρέσει· πλὴν ἐνταῦθα μὲν ἔσται ὃ μὲν κατὰ τὴν ἐπιστήμην ὃ δὲ κατὰ τὴν προαίρεσιν ῥήτωρ, ἐκεῖ δὲ σοφιστὴς μὲν κατὰ τὴν προαίρεσιν, διαλεκτικὸς δὲ οὐ κατὰ τὴν προαίρεσιν ἀλλὰ κατὰ τὴν δύναμιν.* Quorum verborum sententia haec est: dicit rhetoricae esse et ea, quae sint, et ea, quae videantur neque re vera sint probabilia, considerare, atque in hac re artem oratoriam similem esse dialecticae, quae ipsa quoque et ad veros syllogismos et ad eos, qui videantur, pertineat. Ut vero hoc congruant, ita alteram ab altera eo differre, quod in dialectica quidem ei, qui consulto fallacibus conclusiunculis utatur, sophistae nomen imponatur, hic igitur secernatur ab illo, qui facultatem quidem illis utendi habeat, sed non utatur, quem solum dialecticum dici. Contra in rhetorica eum, qui notitiam quidem malarum

---

erat, orator sciret, quid esset iustum, oportere, tamen, quia illud Socraticorum decretum improbabat, concedere nullo modo poterat, oratorem non posse iniuste agere. Qua de causa eo, quem statim afferemus, loco iure loquitur de oratoris improbi consilio et voluntate (*προαιρέσει*) fallendi.

artium habeat, sed earum usurpatione se abstineat, et eum, qui consulto ad eas descendat et audientes fallere ac decipere studeat, uno eodemque nomine appellari oratoresque (ῥήτορας) vocari. Docet igitur, verbum ῥήτορος homonymon esse neque ullum exstare aliud vocabulum, quod improbum oratorem significet, ideoque eodem illo denotari utrumque. Hoc argumento ea, in qua diximus Platonem fuisse, sententia refellitur et redarguitur[10]).

Aristoteles totam rhetoricam docet (I, 3. p. 1358*b* 20. sqq.) in tribus omnino quaestionibus esse occupatam; e quibus unam esse de iusto et iniusto, alteram de bono et malo sive de utili et pernicioso, tertiam denique de honesto et turpi; circa has omnem semper verti disceptationem, quaecunque res in controversia aut in contentione versetur; unumquemque enim oratorem in eo elaborare, ut id, de quo dicat, aut iustum aut iniustum aut bonum aut malum aut honestum aut turpe esse iis, qui audiant, persuadeat. — Esse orationes quasdam, quarum argumentum iusti quaestione contineatur, esse alias, in quibus utilitas tractetur, Plato quoque in Phaedro (p. 261 *C.*—*D.*) significat. Tertii, qui oratori propositus esse potest, finis, ubi haec le-

---

10) Haec recte iam exposuit Spengelius über Aristoteles Rhetorik p. 460. Sed miror, eum de Platonis illa argumentatione haec protulisse: 'Hierin liegt ein Hauptbeweis Platons, der widerlegt werden mufste, wenn die Folgerung, dafs die Rhetorik keine Kunst sei, nicht wirklich Geltung haben sollte.' Nam neque Plato ex illa ratione concludit, rhetoricam non esse artem, neque omnino video, quomodo id facere potuerit.

guntur, nulla fit mentio, ut item alibi a scriptore illorum duorum potissimum ratio ducitur, velut p. 263 *A.* *τί δ' ὅταν (τις ὄνομα εἴπῃ) δικαίου ἢ ἀγαθοῦ; οὐκ ἄλλος ἄλλῃ φέρεται, καὶ ἀμφισβητοῦμεν ἀλλήλοις τε καὶ ἡμῖν αὐτοῖς;* et p. 272 *D.* (*φασὶν οἱ ῥητορικοί*), *ὅτι οὐδὲν ἀληθείας μετέχειν δέοι δικαίων ἢ ἀγαθῶν περὶ πραγμάτων.* Neque tamen Platoni fuit ignotum, etiam de honestate oratori esse dicendum. Exstat enim aliquis in Gorgia locus paene sub finem sermonis, qui a Socrate habetur cum sophista (p. 459 *D.*), quo loco tres illae notiones (*ἔννοιαι*), ad quas omnium orationum summam refert Aristoteles, una commemorantur. Etenim postquam Gorgias professus est, sibi videri oratorem, etiamsi ceterarum artium teneat nullam, solius rhetoricae ope unaquaque de re posse probabiliter dicere, Socrates eum interrogat, putetne idem, quod de ceteris artibus, de iusto et iniusto, de bono et malo, de honesto et turpi posse dici, ita ut ne horum quidem cognitione, qui ad rhetoricam tractandam accedat, imbutus esse debeat. Quod, ut apparet, scriptor eam ob causam a Socrate facit quaeri, quod de his omnibus verba oratori esse facienda intelligebat. Verum ne sophistae quidem iusti et boni quaestionibus artem oratoriam finitam putaverant, id quod inde potest colligi, quod Plato neque usquam indicat, sese ex hac parte aliquid in rhetorum libris desiderare, neque fusius de hac re explicat, sed et in Gorgia et in Phaedro pro confesso et explorato sumit, in tribus illis quaestionibus semper versari rhetoricam.

Iam vero sophistae cum summam rhetoricae prae-

stantiam ac virtutem in eo putarent cerni, quod, qui bene in ea esset versatus, efficere posset, ut, quae ipse vellet, iusta et bona et honesta haberentur, veri scientia et cognitione oratorem docuerant facile posse carere (v. Phaedr. p. 260 *A.* p. 272 *D.*). In hanc pravam perniciosamque opinionem Plato graviter invehitur in Phaedro. Ostendit enim primum, rhetoricam, si sic factitetur, non solum dignam esse, quae omnium irrisione ludatur, ut quae veritatis rationes, quamvis sint apertae et evidentes, pervertat (p. 260 *B.*), sed etiam admodum perniciosam, cum haud raro futurum sit, ut orator ignorans, quid sit bonum quidque malum, iis, quibus consilia sit daturus, ex imprudentia mala pro bonis suadeat (p. 260 *C.*). Deinde ut prorsus falsum esse convincat, quod rhetores vulgo statuant, demonstrare instituit, ne eam quidem rhetoricam, quae id agat, ut audientes decipiantur, hoc suum munus sine veri scientia recte posse obire aut explere. Exponit enim (p. 262 *A.*—*C.*), fraudem fieri non tam in rebus plane diversis quam in iis, quae non ita multum inter se differant, neque tam eum decipere alios, qui a vero ad contrarium subito quasi transiliat, quam qui gradatim eo descendat. Sic enim fieri, ut, quae dicantur, veri quandam habeant similitudinem, eaque ipsa re solere homines in fraudem impelli. Hanc vero ob causam eum, qui quem fallere conetur, ipse tamen sibi ab errore studeat cavere, oportere rerum similitudines et dissimilitudines accurate discernere; quod certe facere non posse nisi eum, qui, quae cuiusque rei sit ratio, bene sciat cognitumque habeat. Apparere igitur, etiam ad fraudulentam illam rhetoricam veri scientiam utique

requiri (cf. p. 273 *D.*). — His omnibus argumentis confirmat Plato, sine iusti et boni et honesti cognitione (hanc enim dicit veri scientiam oratori necessariam, v. p. 259 *E.*—260 *A.*) artem dicendi nullo pacto posse consistere. Atque ut in omnibus gravioribus, quas adhuc excussimus, quaestionibus conspirare philosophos nostros vidimus, ita eos ne in hac quidem re inter se dissentire, quisquis vel leviter primum Aristotelis librum rhetoricum attigerit, persuasum habebit. Nam ibi cum primum quidem de deliberativo causarum genere agit, et universe, quid bonum sit, explicat (I, 6. p. 1362 *a* 21. sqq.) et singula deinceps bona enumerat (ibid. p. 1362 *b* 10. sqq.); deinde, postquam ad genus demonstrativum transiit, honestum et virtutem definit (I, 9. p. 1366 *a* 33. sqq.), virtutis partes recenset (ibid. p. 1366 *b* 1. sqq.), singulae quaeque virtutes vitiaque singula his contraria qua in re sint sita, breviter exponit (ibid. v. 9. sqq.); tum ad iudiciale genus progressus, quid sit iniuriam inferre, quid accipere, statuit (I, 10. p. 1368 *b* 6. et I, 13. p. 1373 *b* 28.), quapropter et quomodo affecti (*πῶς ἔχοντες, πῶς διακείμενοι*) homines aliis iniuriam facere quibusque iniuriam facere soleant, diligentissime exsequitur (I, 10.—12.), omnia iniuste facta in genera dispertit (I, 13. init.), denique aequi et aequitatis rationem paucis illustrat (I, 13. p. 1374 *a* 26. sqq.). Quae omnia signo sunt ac documento, eum non minus longe quam Platonem abfuisse, ut sophistarum sententiae accederet; qua enim alia de causa, nisi quod nota haec esse debere oratori censuerit, in libris rhetoricis ea pertractasse est existimandus?

Hoc igitur primum est, quod ei, qui quid dicendo velit efficere, tenendum esse Plato et Aristoteles existimant. Sed praeterea iisdem auctoribus multae aliae res oratori sunt cognoscendae variaeque artes ac disciplinae perdiscendae, de quibus num conveniat inter eos, nunc quaerere atque examinare iuvabit.

Plato praeter iusti boni honestique scientiam ei, qui cupiat eloquens fieri, imprimis necessariam censet esse artem dialecticam, qua quidem de re in Phaedro, quo dialogo omnia ea continentur, quae hoc loco nobis sunt tractanda, haec fere disputat. Docet primum (p. 263 *A.*—*E.*), cum duplex sit rerum genus, alterum certarum, de quibus omnes idem sentiant (*περὶ ἃ ὁμονοητικῶς ἔχομεν, ἐν οἷς συμφωνοῦμεν*), alterum ambiguarum, de quibus variae sint discrepantesque hominum opioniones (*περὶ ἃ στασιωτικῶς ἔχομεν, περὶ ὧν ἀμφισβητοῦμεν ἀλλήλοις*), necesse esse orator cognito utriusque generis discrimine res dubias definiat breviterque ac circumscripte, quid illud sit, de quo suscipiat orationem, explicet. Deinde ostendit (p. 264 *B.*—*C.*), id quoque videndum esse, ut omnia, quae dicantur, certo quodam ordine proferantur neve temere profundantur aut turbulenter misceantur; unamquamque enim orationem perinde atque animal debere comparatam esse, ita ut corpus suum habeat bene constitutum, quod neque capite nec pedibus careat, sed partibus mediis et extremis sit instructum tam inter se quam ad totum apte convenientibus[11]). Quorum officiorum utrique, et

[11]) Eadem similitudine utitur Aristoteles Rhetor. III, 14. p. 1415 *b* 7. *ἐπεὶ ἂν* (*ὁ ἀκροατὴς*) *μὴ τοιοῦτος ᾖ* (scil. *φαῦλος καὶ*

res dubias definiendi et omnia certum in ordinem redigendi, declarat deinceps (p. 265*D.*—*E.*) eum solum posse satisfacere, qui sciat et res multifariam disiunctas ac dispersas ad unam notionem generalem referre unumque in genus colligere, et contra genus universum in species suas sive formas, ut nulla neque praetermittatur neque redundet, dissolvere et tanquam articulatim partiri ac dividere (cf. p. 273*E.*). His autem in conductionibus et divisionibus, quae ad cogitandum et ad dicendum aeque sint necessariae (v. p. 266*B.* *ΣΩ. Τούτων δὴ ἔγωγε αὐτός τε ἐραστής, ὦ Φαῖδρε, τῶν διαιρέσεων καὶ συναγωγῶν, ἵν' οἷός τε ὦ λέγειν τε καὶ φρονεῖν*), artem cerni eam, quae dialecticae nomine appelletur, eiusque gnarus sit ac peritus, qui qua de re verba velit facere, adeo necesse esse, ut rhetorica, quae illa sit destituta, omnis omnino artis expers sit habenda (p. 266*D.* 273*E.*).

Haec Plato de dialectica. Ac si unaquaque in oratione, id quod ille demonstrat neque quisquam negabit, dispositione opus est, omniaque, quae sunt dicenda, in ordinem sunt digerenda, eius, qui ad dicendum vult instituere, certe est tradere, quomodo hoc fiat ubique quidque in oratione sit collocandum. Esse hoc rhetoris officium, Aristoteles fatetur initio libri tertii, ubi tria omnino ait in arte rhetorica esse tractanda, primum unde probationes arcessendae sint, deinde qua sit utendum elocutione, denique quomodo partes orationis sint ordinandae. Quare ipse totam alteram eius libri partem

---

τὰ ἔξω τοῦ πράγματος ἀκούων), οὐθὲν δεῖ προοιμίου, ἀλλ' ἢ ὅσον τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν κεφαλαιωδῶς, ἵνα ἔχῃ ὥσπερ σῶμα κεφαλήν.

(c. 13.—19.) tribuit dispositioni. Dialectica ad eam rem esse opus, id quod Plato docet, nusquam commemorat, neque id ita est mirandum. Quaecunque enim nulla certa materia proposita a dicendi magistris de dispositione possunt tradi (et Aristoteles quidem, ut totum hoc eius opus admirabili quadam copia est insigne, vix quidquam eorum praetermisit), ea artis rhetoricae plane sunt propria neque quidquam habent cum dialectica commune. An ab illa proficiscuntur ea, quae Aristoteles ibi dat, praecepta, eiusque ope potest constitui, quot quaeque oratio necessario debeat habere partes? quo ordine eae se debeant excipere (III, 13.)? unde prooemium in demonstrativis sit ducendum? quod exordii munus in iudicialibus? ubi ei, qui malam de se opinionem depellere, ubi ei, qui excitare de adversario velit, hoc sit faciendum? in exordio an alibi audientes monendi, ut attenti sint? in genere deliberativo quando prooemium assumendum, quando omittendum (c. 14.)? ubi narrare opus sit? ubi continua utendum narratione, ubi partita (c. 16.)? in probatione utrum enthymemata uno tenore proferenda, an alia passim rationibus inserenda (c. 17. p. 1418 *a* 6. sqq.)? quibus in orationis partibus locus sit sententiis (ibid. v. 17. sqq.)? cui parti refutatio eorum, quae contra dicantur, adiungenda? quando a suis, quando ab adversariorum propositionibus incipiendum (c. 17. p. 1418 *b* 5. sqq.)? quae peroratione comprehendenda? quae denique in rerum repetitione ratio sequenda (c. 19.)? Apparet, haec neutiquam pendere ex dialectica. Neque vero minus apertum est, eum nondum satis orationis

ordini consuluisse, qui illa sola praecepta observaverit. Oratori in eo quoque est elaborandum, ut in ipsis orationis partibus omnia secundum rationem sint digesta ac distributa, quae eodem pertinent, coniuncta, quae diversa sunt, seiuncta, cum quadam necessitate priora priore loco collocata, posteriora in posteriorem reiecta[12]), alia ab aliis nexa, omniaque inter se apta et colligata. Et haec quidem est logica, ut illa quasi oeconomica orationis dispositio[13]), ad eamque requiritur dialectica. Verum quia haec neque nisi in re quasi praesenti potest constitui, et rhetoricae cum omnibus, quae quid via et ratione docent, artibus est communis, Aristoteles eius facere mentionem omnino omisit, quod ipsum est in causa, cur apud eum nusquam inveniamus, ad disponendas res oratori opus esse dialectica.

Definiendi facultatem, quam Plato vult inesse in oratore, si quaeritur, num Aristoteles quoque necessariam existimaverit, fatendum, nullum inveniri locum, quo hoc diserte ab eo dictum sit. Sane quidem in libro primo non solum, quid bonum sit, quid pulchrum, quid virtus, quid singulae virtutes, quid facere iniuriam, quid accipere, ut supra ostendimus, definit, sed etiam necesse dicit esse is, qui aut accusare aut defendere velit, quas iureconsulti tradant singulorum scelerum delictorumque, velut furti, contumeliae, adulterii, definitiones teneat cognitasque habeat (I, 13. p. 1374*a* 1. sqq.). At vero illae non ipsi oratori sunt excogitandae aut

12) Cf. Plat. Phaedr. p. 264*B*. *ΣΩ. σὺ δ' ἔχεις τινὰ ἀνάγκην λογογραφικήν, ᾗ ταῦτα ἐκεῖνος οὕτως ἐφεξῆς παρ' ἄλληλα ἔθηκεν;*

13) Cf. Quintil. Instit. Orat. VII, 10, 11.

inveniendae, sed vel ex rhetorum libris vel, si apud eos non inveniuntur, ex ipsis, ad quas pertinent, disciplinis, unde sumuntur etiam a magistris dicendi, sunt repetendae. Aliud autem est definitionibus aliunde petitis uti, aliud mente eas fingere; hoc enim qui faciet, dialectica facile carere poterit, ad illud ars ea utique erit necessaria. Constat autem fere inter omnes rhetores (atque haec quidem et ipsius Platonis est sententia), in oratore oportere eam esse facultatem, ut ipse res possit definire[14]). Quod rectissime eos iudicare patet, quoniam neque omnes res, quae fieri potest ut explicandae sint, ad certam aliquam pertinent doctrinam, et de rebus, quae in doctrinis sunt sitae, nonnunquam alii aliter statuunt, ita ut de his orator suam ipsius aperire sententiam sit coactus. Neque tamen eo magis Aristoteli, quod hoc praetermiserit, magno in crimine ponendum censeo; potest enim eius satis idonea afferri excusatio, de qua paulo post (p. 42) videbimus.

Aristoteles etsi eas causas, de quibus Plato oratorem in dialectica versatum esse vult, ut ostendimus, silentio praeterit, tamen rhetoricam illius artis indigere et ipse docet idque hoc argumento confirmat, quod vicissim apud Platonem desideramus. Quoniam rhetoricae propositum sit persuadere, homines autem ea potissimum persuasa habeant, quae demonstrata esse putent, manifestum ait esse, in unaquaque oratione longe maxime necessarias esse demonstrationes. Rhetoricam autem ad demonstrandum uti enthymematis et exemplis,

---

[14]) V. Cicer. Orat. c. 4. §. 16. c. 33. §. 117. coll. primis §. 118. verbis. Brut. c. 41. §. 152. sq.

quorum illa syllogismi quidam sint, haec inductio quaedam. Quamobrem eum, qui ad dicendum accedat, scire oportere, et quibus ex propositionibus quomodoque fiat syllogismus, et quae ratio sit inductionis, et quo enthymema a syllogismo quoque ab inductione exemplum differat. Haec autem omnia docere dialecticam[15]). Atque hanc ipsam ob causam, quod rhetoricam a dialectica concludendi rationes mutuari oporteat, quodam loco (I, 2. p. 1356 *a* 25.) eam *οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς,* i. e. quasi stolonem quendam dialecticae, esse dicit, utpote ex qua orta sit, cui, si vigeat floreatque, hoc debeat, sine qua denique esse omnino non possit, plane consimiliter atque pullus arboris radicibus, ad quas ortus sit, alatur et sustentetur abscisusque necessario emoriatur[16]). Dialecticam autem quin hic et eo, quem paulo

---

15) V. I, 1. p. 1355 *a* 3.—14. Supplevi tamen hunc locum exemplorum faciens mentionem, quam alteram, qua rhetorica utatur, argumentandi esse rationem Aristoteles I, 2. p. 1356 *a* 36. sqq. exponit. Omisit ea h. l., quia *ἐνθύμημά ἐστιν ὡς εἰπεῖν ἁπλῶς κυριώτατον τῶν πίστεων* (I, 1. p. 1355 *a* 7. cf. p. 1354 *a* 15., ubi enthymema vocatur *σῶμα τῆς πίστεως*).

16) Neque rem acu tetigit et res prorsus alienas admiscuit P. Victorius illud simile hunc in modum explicans: 'Ut enim, qui ad radices arborum pulli nascuntur, naturam illarum stirpium reddunt, in quibus procreati, minores tamen sunt neque eosdem fructus quos matres ferunt: ita etiam rhetorice, quae e civile facultate et disserendi ratione exorta est (etenim Aristoteles eam *οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας* vocat), multam cum illis similitudinem habet et naturam earum redolet.' Quid enim? num re vera rhetorica, quippe quae concludendi rationibus utatur, cum dialectica eas exquirat, illius naturam redolet? Et quid, quaeso, ista sibi volunt 'mi-

ante enarravimus, loco eandem quam Plato in Phaedro dicat artem, dubium esse non potest. Uterque enim significat eam disciplinam, quam nos quidem logicen, Aristoteles plerumque *ἀναλυτικὴν ἐπιστήμην* vocat. Nam haec et concludendi rationes perscrutatur, quas Aristoteles, et analyticam ac syntheticam cognoscendi vias inquirit, quas Plato notas debere esse oratori existimat. Hoc notandum videbatur, ne, quoniam uterque philosophus dialecticae nomine varie utitur, talia, quae plane diversi essent generis, inter se contulisse putaremur[17]).

---

nores tamen sunt neque eosdem fructus quos matres ferunt'? Quis enim credat, scriptorem similitudine illa eo usum esse consilio, ut indicaret, rhetoricam dialectica minoris esse aestimandam? Manifesto id unum docere voluit, eam solam per se sine aliarum disciplinarum adiumento non posse constare.

[17]) Spengelius eo, quem supra laudavimus, loco, quo rhetorica *οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς* vocatur, non logicen, sed disserendi artem sive disputatricem, quam Latini dixerunt, intellexit, id quod patet ex his eius verbis (über Aristoteles Rhetorik p. 467.): 'Es ist aber die Rhetorik des Aristoteles nicht selbständig, wie er am Eingange zu sagen scheint, nicht ein Correlat der Dialektik, sondern auf Kosten der Dialektik ist sie hervorgehoben; auch Aristoteles kann nicht umhin, bald nachher die Rhetorik nur als ein Auswuchs oder Nebengeschofs der Dialektik zu erklären.' Nam comparavit illum locum cum principio totius libri, ubi rhetorica quasi ex altera parte dicitur respondere dialecticae, quo nomine ibi, ut ab Aristotele longe saepissime, ars disserendi notatur. Sed nostro loco non illam, sed logicen esse intelligendam, cum ex verbis, quae proxime antecedunt (*φανερὸν ὅτι ταῦτα τὰ τρία ἐστὶ λαβεῖν τοῦ συλλογίσασθαι δυναμένου κ. τ. λ.*), perspicuum sit, tum maxime his, quae paulo inferius (I, 4. p. 1359 *b* 8.—10.) leguntur, comprobatur: *ὅπερ γὰρ καὶ πρότερον εἰρηκότες τυγχάνομεν, ἀληθές ἐστιν, ὅτι ἡ*

Negavimus supra (p. 39.), Aristoteli vitio esse vertendum, quod oratorem definiendi peritum esse oportere nusquam commemoraverit. Reliquum est, ut iure nos id negasse probemus. Aristotelem modo vidimus docere, in unaquaque oratione opus esse demonstrationibus. Demonstratio autem quoniam in infinitum abire nequit, recte procedere non potest, nisi positis quibusdam, quae non demonstrentur, principiisque, quae per se sint certa, constitutis (cf. Aristot. Analyt. Post. I, 3. p. 72*b* 18. sqq. et I, 2. p. 72*a* 7.). Haec autem demonstrationis principia sunt definitiones, quippe quae rerum naturam explicent (cf. Aristot. Analyt. Post. II, 3. p. 90*b* 24. *αἱ ἀρχαὶ τῶν ἀποδείξεων ὁρισμοί*, ibid. v. 16. *ὁ ὁρισμὸς οὐσίας τις γνωρισμός.*). A definitionibus igitur omnis proficiscitur demonstratio, sine iis demonstrari omnino nihil potest. Unde sequitur, ut unumquemque, qui quid demonstrare velit, res definiendo posse explicare opor-

---

ῥητορικὴ σύγκειται ἔκ τε τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς, quae, ut liquet, ad eum, de quo agimus, locum sunt referenda. — Similem in modum atque Spengelius lapsus est P. Victorius, qui ad I, 2. p. 1356*a* 30. *ἔστι γὰρ* (*ἡ ῥητορικὴ*) *μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ ὁμοίωμα* haec annotat: 'Quod paulo antea (dicit illum locum: *ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι*) translato nomine protulit, nunc proprio tradit.' Namque et ipse duos inter se contulit locos, quorum ratio prorsus diversa est. Ubi enim rhetorica particula quaedam et simulacrum dialecticae dicitur, non, ut eo loco, quem laudat Victorius, logice sed ars disserendi est intelligenda, id quod verba haec, quae subsequuntur, docent: *καθάπερ καὶ ἀρχόμενοι εἴπομεν.* Nam principio libri, ut diximus, de ea arte, quae disserendo verum tentat, loquitur,

teat. Verum cum hoc ita sit, si non supervacaneum, at necesse certe non erat diserte dicere, oratorem oportere definitiones posse instituere. Hoc enim, si quidem ea, quibus fidem vult adiungi, demonstrare debet, per se intelligitur.

His expositis de dialectica satis, opinor, superque dictum est. Neque enim solum ostendimus, et Platonem et Aristotelem in ea versatum esse velle oratorem, verum etiam causas, cur id uterque velit, proposuimus et, quo iure eas res, propter quas hic rhetoricam dialectica egere censet, omiserit ille, subtiliter quaesivimus. Sed his pertractatis nondum ad finem eius, quam instituimus, quaestionis pervenimus. Neque enim aut Plato aut Aristoteles eum, qui, quid sit iustum, quid bonum, quid honestum, noverit artemque dialecticam didicerit, satis ad dicendum instructum praeparatumque fore existimat: sunt etiam aliae disciplinae, quarum cognitionem ad eloquentiae laudem consequendam requiri arbitrantur. Itaque restat, ut de his explicandum esse videatur.

Ceterae artes doctrinaeque, quibus perinde ac rhetoricae propositum est de iis, in quibus versantur, rebus persuadere, persuasionem ut efficiant, eam ingrediuntur viam, ut rationibus argumentisque afferendis ea, quae docent, confirment veraque esse demonstrent. Qua ab persuadendi ratione, quae tota ad mentem et ad intelligentiam est accommodata, diversa ac differens est ea, quam Plato inire arbitratur rhetoricam. Hanc enim ait in animis studere persuasionem efficere, hanc animis orationes admovere, huius totum in animos quasi in-

tentum esse certamen (Phaedr. p. 270 *E.*—271 *A.* *ἡ ἅμιλλα αὐτῷ* (i. e. *τῷ ῥήτορι*) *τέταται πρὸς τὴν ψυχὴν πᾶσα*). Denique universam rhetoricam dicit esse artem quandam flexanimam, i. e. quae hominum animos orationibus, ut velit, regat et flectat. V. p. 261 *A.* *Ἆρ' οὖν οὐ τὸ μὲν ὅλον ἡ ῥητορικὴ ἂν εἴη τέχνη ψυχαγωγία τις διὰ λόγων;* cf. p. 271 *C.* *ἐπειδὴ λόγου δύναμις τυγχάνει ψυχαγωγία οὖσα, κ. τ. λ.* Quoniam autem haec sit eius natura ac ratio, cogit colligitque, oratori necessarium esse nosse, quotnam animi tanquam species sint ac formae quaeque cuiusque earum proprietates, et quo orationum genere animi pro sua quisque indole, ut credant fidemque habeant iis, quae dicantur, adduci possint (p. 271 *D.*), sive, ut alibi (p. 270 *B.*) ait paucis haec comprehendens, oratorem oportere animi humani naturaeque eius accuratam tenere notitiam. Quod recte se ita statuere, etiam ea re probare conatur, quod ne medicus quidem, cuius omne ad corpus sicuti oratoris ad animum pertineat studium, si non usum solum sequens artem suam exercere, sed ex ratione medicamentis adhibendis mederi morbis aegrosque sanare velit, corporis interiore notitia et cognitione possit carere (p. 270 *B.*). Atque idcirco plane similiter ac supra eum, qui dialecticae sit ignarus et rudis, hic eum, qui naturas hominum non habeat exploratas paenitusque perspectas, ex arte ulla de re posse dicere negat (p. 271 *B.*); caeci enim iter facientis ait illum esse similem, qui sine hac scientia rhetoricam factitet; neque vero caeci instar debere agere eum, qui quid ex arte agere putari cupiat (p. 270 *D.*—*E.*).

Quod Plato totum dicit oratoris certamen in ducendis ac pellendis animis verti totamque rhetoricam artem quandam esse flexanimam, hoc vereor ne non sine iusta causa possit offendere. Quid enim? ita si artis oratoriae comprehenditur natura, nonne quod in argumentando et demonstrando cernitur oratoris munus prorsus negligitur? An demonstrando animi flectuntur ac moventur, rationibusve persuadetur animis? Apparet, credo, id quod iam diximus, rationibus et argumentis qui quid hominibus probet, eum menti iudicioque hominum persuadere. At Plato, inquies, argumentationem nec in Gorgia nec in Phaedro ne leviter quidem tetigit. Sed quis, quaeso, praeclarissimum philosophum tam ineptum fuisse credat, ut orationes demonstrationibus carere posse putaret? Et quid? nonne docet, oratori opus esse definitionibus? Definitionum autem qui tandem alius est usus, nisi ut fundamenta sint, quibus nitatur demonstratio? Necessariam igitur sine ulla dubitatione etiam Plato argumentationem in orationibus esse censuit. Verumtamen quod, etsi haec ita sunt, tamen illius nullam habens rationem rhetoricam, si eius spectetur summa, artem quandam ducendorum animorum esse dicit, hoc certissimo est argumento, eum caput oratoris non tam id esse putasse, ut res demonstrarentur, quam ut animi audientium, quacunque fieri posset ratione, pertractarentur. Quod non mediocriter ea re confirmatur, quod de argumentatione ipsa nusquam ne paucissimis quidem fecit mentionem, cum, ut in Phaedro eo deduceretur disputatio, fieri paene debuerit. Nam ibi id maxime egit, ut vulgares de arte

rhetorica opiniones, quas aut minus rectas aut perversas habebat, refutaret et emendaret vitiaque, quibus libros a rhetoribus compositos laborare putabat, aperiret manifestaque faceret. Aristotele autem teste quotquot exstiterant artium scriptores ante omnia animos orationibus permovendos et concitandos rati argumentationem adeo neglexerant, ut de ea paene nihil praeciperent (v. Aristot. Rhetor. I, 1. p. 1354*a* 11. sqq. *b* 21. I, 2. p. 1356*a* 16.—17.). Hoc vix dubitandum quin Plato, si contra argumentationi priores deferendas censuisset, reprehendere et castigare non fuerit omissurus. Pro certo igitur affirmaverim, de hac re eum non multo secus ac, qui ante fuerant et tunc erant, rhetores sensisse.

Haec si recte disputavimus, in hac quaestione haud ita parva inter philosophos nostros est dissensio; nam Aristoteles ut argumentationi ullum ceterorum oratoris munerum anteponat, tantum abest, ut omnia reliqua levia prae illo ac paene nullo numeranda loco existimet. Argumentatio ei longe princeps oratoris est officium; huic primas, huic secundas, huic tertias tribuit; in hac una cerni artem putat (v. I, 1. p. 1354*a* 13. *αἱ γὰρ πίστεις ἔντεχνόν ἐστι μόνον*, et p. 1355*a* 4. *ἡ ἔντεχνος μέθοδος περὶ τὰς πίστεις ἐστίν*, ubi *πίστεις* non simpliciter probationes dicit, sed eas, quas *πίστεις διὰ τῶν λόγων* (I, 2. p. 1356*a* 19.) sive *διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι* (ibid. v. 4.) appellat, i. e. argumenta et rationes), in hac apparere oratoris ingenium, hanc solam necessario requiri; cetera omnia inutilia ait esse et supervacanea (III, 1. p. 1404*a* 6. *τἄλλα ἔξω τοῦ*

ἀποδεῖξαι περίεργά ἐστιν), mera additamenta (I, 1. p. 1354*a* 13. *αἱ γὰρ πίστεις ἔντεχνόν ἐστι μόνον, τὰ δ' ἄλλα προσθῆκαι*), speciem quandam atque pompam, ad turbandos eos, qui audiant, compositam (III, 1. p. 1404*a* 11. *ἀλλ' ἅπαντα φαντασία ταῦτ' ἐστὶ καὶ πρὸς τὸν ἀκροατήν*. Haec de actione maxime et elocutione dicit). Ac propterea rhetores, qui ante ipsum artes oratorias composuerint, officio suo minima tantummodo ex parte iudicat esse functos, quoniam argumentationem paene nihil curaverint toti in doctrina illa haerentes, quae sit de animorum motibus oratione inflammandis. De his autem qui det praecepta, eum res extra causam sitas tradere (*περὶ τῶν ἔξω τοῦ πράγματος πραγματεύεσθαι*). Nam odium[18]) et misericordiam et iram quaeque praeter has sint animi commotiones non ad causam pertinere sed ad iudicem (I, 1. p. 1354*a* 11.— 18.). Iure autem in civitatibus nonnullis bene administratis iudiciisque quibusdam, velut in Areopago, oratorem legibus vetari de re proposita discedere; neque enim oportere iudicis mentem quasi detorquere (*διαστρέφειν*) ira aut invidia aut misericordia movenda; nam hoc non secus esse, ac si quis qua usurus sit regulam incurvet et inflectat (ibid. v. 19. sqq.). Immo aequum esse in hac arte ita versari, ut ii, apud quos verba fiant, nec ad iram nec ad studium deducantur;

---

[18]) Aristoteles utitur verbo *διαβολῆς* non ipsum animi motum, sed causam eius significans; is autem motus, qui criminando concitatur, est odium (*ἡ ἔχθρα, τὸ μῖσος*); cf. Aristot. Rhetor. II, 4. p. 1382*a* 1. *ποιητικὰ δ' ἔχθρας ὀργή, ἐπηρεασμός, διαβολή*.

ipsis enim rebus par esse disceptare (III, 1. p. 1404 *a* 4. *ἐπεὶ τό γε δίκαιον μηδὲν πλείω ζητεῖν περὶ τὸν λόγον ἢ ὥς μήτε λυπεῖν μήτε εὐφραίνειν· δίκαιον γὰρ αὐτοῖς ἀγωνίζεσθαι τοῖς πράγμασιν*). — Spectant haec fere omnia ad illam animorum tractandorum rationem, quae hominum in animis motus concitat, improbatque Aristoteles et impugnat eius in rhetorica usum duplici de causa: primum quia omnia, quae permotionis gratia ab oratore dicantur, prorsus absint a causa; deinde quia motibus hominum mentibus quasi caligo quaedam offundatur, ita ut rerum veritatem non satis possint perspicere, efficiaturque, ut impetu quodam et perturbatione magis quam iudicio et consilio regantur (v. I, 1. p. 1354 *a* 24.—26. et ibid. *b* 8.—11.). Neque vero uno hoc solo orationis genere animi possunt duci ac flecti; pertinet ad animos id quoque genus, quod dicentis habet commendationem eumque ut hominem probum et bene moratum et fide dignum et erga illos, apud quos agit, benevolum describit; conciliantur enim eo hominum animi. Hanc orationis rationem etsi Aristoteles iis, quos modo laudavimus, locis non tetigit, tamen iustum dicens esse solas ipsas defendere res ideoque omnia reliqua praeter argumentationem esse supervacanea, satis aperte significavit, sibi ne hoc quidem genus dicendi iure ab oratoribus videri usurpari. Nec iudicare aliter nisi a se ipse desciscens potuit; neque enim minus extra causam dicit, qui oratione homines sibi studet conciliare, quam qui eos impellit ad motus. Hoc igitur in aperto est, Aristotelem animos pertractari ab oratore, utracunque hoc fieret ratione, pro vitio habuisse.

Sed tamen cavit, ne praeciperet, ut orator repudiatis his artibus in argumentatione et in re ipsa per se comprobanda sese contineret, fecitque id prudentissime. Nam in vitae quotidianae consuetudine ut ad causas obtinendas sufficiat argumenta ad rem probandam idonea colligere et afferre, tantum abest, ut ei, qui nihil ultra fecerit, quam maxime sit verendum, ne causam perdat vincaturque ab eo, qui etiam ad sensus animorum adhibuerit orationem. Neque, cur hoc ita sit, difficile est ad intelligendum. Namque ut primum de illo orationis genere dicamus, quod mores quasi effingit dicentis, quod genus Aristoteles rhetoresque posteriores hunc secuti vocant *ἠθικόν*, cum omnes ei, quem fide existimant esse dignum, cum omnibus in rebus, tum in iis, quae dubitationem afferant, multo facilius credant fidemque tribuant, fide autem dignus habeatur is, qui et consilii plenus et probus et benevolus videtur esse (cf. Aristot. Rhetor. II, 1. p. 1378 *a* 6. sqq.), ad persuadendum necessario valet permultum oratio, quae talis hominis tueatur speciem omnibusque ex his partibus commendet dicentem. Verum nihilo paene minor illius generis est vis, quod Aristoteles nominat *παθητικόν*, quod animos audientium ad quemcunque causae natura ratioque temporis postulat motum vocat impellitque, ut aut irascantur aut mites sint aut invideant aut faveant aut oderint aut diligant aut sperent aut metuant aut cupiant aut abhorreant aut laetentur aut maereant. Multum enim interest, integri quietique iudicent homines an quodam modo animis affecti, habetque motuum suam quisque vim ad eorum iudicia suo-

que modo flectit ac dirigit voluntates. Rectissime Aristoteles (II, 1. p. 1377 *b* 31.): *Οὐ ταὐτὰ φαίνεται φιλοῦσι καὶ μισοῦσιν, οὐδ' ὀργιζομένοις καὶ πράως ἔχουσιν, ἀλλ' ἢ τὸ παράπαν ἕτερα ἢ κατὰ τὸ μέγεθος ἕτερα· τῷ μὲν γὰρ φιλοῦντι, περὶ οὗ ποιεῖται τὴν κρίσιν, ἢ οὐκ ἀδικεῖν ἢ μικρὰ δοκεῖ ἀδικεῖν, τῷ δὲ μισοῦντι τοὐναντίον· καὶ τῷ μὲν ἐπιθυμοῦντι καὶ εὐέλπιδι ὄντι, ἐὰν ᾖ τὸ ἐσόμενον ἡδύ, καὶ ἔσεσθαι καὶ ἀγαθὸν ἔσεσθαι φαίνεται, τῷ δ' ἀπαθεῖ καὶ δυσχεραίνοντι τοὐναντίον.* Quam ob rem omnibus in causis alii semper sunt motus, qui obstent, alii, qui prosint oratoris voluntati, unde per se intelligitur, in his exstinguendis illisque incendendis magnam oratoris exsistere vim. Patet igitur, utrumque, et illud *ἠθικὸν* et hoc *παθητικόν,* in oratione adhibitum maximo ad persuadendum esse momento; et fatetur hoc quidem ipse Aristoteles; sunt enim haec eius verba (II, 1. p. 1377 *b* 25.): *Πολὺ διαφέρει πρὸς πίστιν, μάλιστα μὲν ἐν ταῖς συμβουλαῖς, εἶτα καὶ ἐν ταῖς δίκαις, τὸ ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα καὶ τὸ πρὸς αὐτοὺς ὑπολαμβάνειν ἔχειν πως αὐτόν, πρὸς δὲ τούτοις ἐὰν καὶ αὐτοὶ διακείμενοί πως τυγχάνωσιν.* Haec vero cum ita sint, cum praeter argumentationem etiam hae duae res, ut concilientur et ut moveantur, qui audiunt, ad persuadendum valeant multum, manifesto ei, qui cunctas tres illas inierit rationes, multo certior erit bonus causae eventus quam ei, qui in rei ipsius defensione acquieverit, fierique paene necesse est, ut, si alter cum altero in certamen descenderit, is, qui etiam animos pertractaverit, victoriam reportet de eo, qui hoc facere neglexerit, idque eo magis, quod neces-

sarie in hac arte paene nihil potest demonstrari. Accedit, quod saepe accidit, ut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi afferant ad causam iudices oratoris consiliis aut minus prosperam aut plane contrariam. Quod cum ita fuerit, solis argumentis, quamvis firma sint ac gravia, nullo pacto eos orator, quo volet, poterit deducere. Haec satis docent, ut res bene cedat dicenti, necesse esse eum non modo rationes ad fidem faciendam idoneas colligere, sed toto animo studioque omni in id quoque incumbere, ut et conciliet sibi homines et animos eorum sic, ut quaque in causa ipsius tulerit utilitas, moveat concitetque. Neque id fugit Aristotelem; docet enim hoc ipsum initio alterius libri (p. 1377 *b* 21.): *Ἐπεὶ δ' ἕνεκα κρίσεώς ἐστιν ἡ ῥητορική, ἀνάγκη μὴ μόνον πρὸς τὸν λόγον ὁρᾶν, ὅπως ἀποδεικτικὸς ἔσται καὶ πιστός, ἀλλὰ καὶ αὑτὸν ποιόν τινα καὶ τὸν κριτὴν κατασκευάζειν.* Quamquam igitur pro vitio habet animos audientium tractari oratione, tamen eiusmodi hoc esse vitium sibi persuasit, ut tolli ex hac arte in communi vitae consuetudine nullo modo possit. Itaque a Platone non adeo dissentit, ut, quod ille caput esse oratoris arbitratur, ipse removendum omnino ab arte rhetorica censeat; negat id solum, flectere animos oratoris esse munus praecipuum, idque, ut mea quidem fert opinio, optimo iure. Nam dubitari non potest, quin oratio, etiamsi ad animos movendos non descendat, tamen et constare et summa laude digna esse possit; oratione autem omnibus argumentis carente totaque in motibus animorum inflammandis occupata haud scio an nihil possit cogitari ineptius. Praecipuum autem ora-

toris munus id esse non potest, quod etsi neglexerit, tamen a reprehensione tutus erit, quoque si functus erit neglectis ceteris, gravissimam in reprehensionem incurret. Rectius igitur sine dubio Aristoteles summam in dicendo vim tribuit argumentationi. — Sed pergamus ad id, quod reliquum est, videamusque, num Aristoteles, quoniam consentiens cum Platone ad animos flectendos apposite dicendum esse oratori existimat, ipse quoque eam, qua ille hanc ob causam oratorem ornatum esse vult, scientiam cognitionemque necessariam ad dicendum habeat. Ac negat quidem quemquam in illis orationis generibus, quibus aut concilientur animi aut permoveantur, callide ac perite posse versari, nisi si in illa doctrina, quae sit de morum proprietatibus (sic liceat Quintiliano auctore reddere Graecum vocabulum *ἤθη*, cuius nomine caret sermo Latinus, v. Quintil. Instit. Orat. VI, 2, 8.—9.), de virtutibus, de animi commotionibus, bene sit versatus, motuumque quid quisque sit et quibus ex causis oriatur et quomodo excitetur, diligenter habeat exploratum paenitusque perspectum. V. I, 2. p. 1356*a* 21. *ἐπεὶ δ' αἱ πίστεις διὰ τούτων εἰσί* (sc. *ἢ διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ διὰ τοῦ ἤθους τοῦ λέγοντος ἢ διὰ τοῦ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως*), *φανερὸν ὅτι ταῦτα τὰ τρία ἐστὶ λαβεῖν τοῦ συλλογίσασθαι δυναμένου καὶ τοῦ θεωρῆσαι περὶ τὰ ἤθη καὶ τὰς ἀρετὰς καὶ τρίτον τοῦ περὶ τὰ πάθη, τί τε ἕκαστόν ἐστι τῶν παθῶν καὶ ποῖόν τι καὶ ἐκ τίνων ἐγγίνεται καὶ πῶς.* Ad sensus autem animorum cum doceat opus esse adhibere orationem, sequitur, ut omnium, quas hic enumerat, rerum cognitionem ad rhetoricam via et ratione tractandam

requiri sit arbitratus. Eiusque rei testimonio est rhetoricorum liber secundus, in quo multa per capita (c. 1.—17.) de naturis humani generis ac moribus explicat accuratissimeque exsequitur, quae morum proprietates virtutesque idoneae sint ad fidem dicenti conciliandam (c. 1.), quid quisque motuum sit, quo in rerum statu quidque sentientes et existimantes homines quamque ad animi permotionem inclinent, quos in homines quamque illarum soleant animis concipere, quibus rebus motuum quisque aut incendatur aut restinguatur (c. 2.—11.), pro aetatibus quae morum sit dissimilitudo studiorumque distantia, quae adolescentium, quae virorum, quae senum natura (c. 12.—14.), praemia donaque fortunae quam vim habeant ad mores et mentes et cogitationes hominum, quomodo, qui nobili, quomodo, qui obscuro loco sint nati, quomodo divites, quomodo pauperes, quomodo potentes, quomodo humiles soleant esse morati animisque affecti (c. 15.—17.). Imbutum igitur vult esse oratorem, ut in pauca conferam, subtiliore eius disciplinae cognitione, quam hodie vocant psychologiam, Aristoteles cum philosophiae parte morali uno comprehendens nomine vel *περὶ τὰ ἤθη πραγματείαν* (v. Rhetor. I, 2. p. 1356*a* 25. *ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας*, ubi psychologiam dici ex verbis antecedentibus cognoscitur) vel, quia partem illam moralem subiectam censet esse rationi civili (v. Magn. Moral. I, 1. init. *μέρος ἐστὶν ἄρα, ὡς ἔοικε, καὶ ἀρχὴ ἡ περὶ τὰ ἤθη πραγματεία τῆς πολιτικῆς*) *περὶ τὰ ἤθη πολιτικὴν* appellat (v. Rhetor. I, 4. p. 1359*b* 8. *ὅπερ γὰρ*

καὶ πρότερον εἰρηκότες τυγχάνομεν, ἀληθές ἐστιν, ὅτι ἡ ῥητορικὴ σύγκειται ἔκ τε τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς). Psychologia autem ea ipsa est disciplina, quam oratorem debere diligentissime habere tractatam et pervestigatam iudicat Plato.

Rerum earum, de quibus adhuc disputavimus, scientiam consecutus sit orator oportet, cuiuscunque generis est suscepturus causam; neque enim ulla potest inveniri aut cogitari, in qua non quaerendum sit aut de iusto aut de bono aut de honesto aut de iis, quae his sunt contraria, nec in qua nihil comprobandum, nihil refutandum, nihil definiendum, nihil ordinandum, nec denique in qua non possit fieri, ut animos oporteat oratione aut excitare aut sedare aut conciliare. Philosophiae igitur partem moralem (nam haec docet, quid honestum sit, quid turpe, quid bonum, quid malum, quid iustum, quid iniustum) et dialecticam et psychologiam bene noverit orator necesse est, qualemcunque ad causam est accessurus. Sed has artes didicisse non satis est; postulant praeterea causarum genera suam quodque prudentiam propriam cognitionemque singularem, eaque qui carebit, tametsi artes illas tenebit, tamen graviter scienterque dicere non poterit. Causarum enim forensium qualis fore actor est putandus, qui legum sit inscius iurisque civilis ignarus? et in consiliis publicis qualis fore suasor existimandus, qui historias nesciat aut rudis sit in rebus civilibus? Sed harum rerum ad mentionem Plato in Phaedro non devenit, idque propterea, quod ibi id solum sibi proposuerat demonstrare, eloquentem non posse effici sine philosophia. Quod

cognoscitur ex his Socratis verbis, collocatis fere in principio totius, quae in hoc dialogo de recta ac vitiosa dicendi ratione (p. 259 *E.* *ὅπῃ καλῶς ἔχει λέγειν καὶ ὅπῃ μή*) instituitur, disputationis: *Πάριτε δή, θρέμματα γενναῖα* (sic quasi advocat allicitque orationes, quas fingit ad se esse accessuras rhetoricaeque artis laudem erepturas), *καλλίπαιδά τε Φαῖδρον πείθετε, ὡς, ἐὰν μὴ ἱκανῶς φιλοσοφήσῃ, οὐδὲ ἱκανός ποτε λέγειν ἔσται περὶ οὐδενός* (p. 261 *A.*). Atque eae quidem disciplinae, de quibus ita, ut exposuimus, deinceps in hoc sermone disseritur, aeque omnes continentur philosophia; nam eius pars quaedam est et quae de rebus bonis et malis quaerit doctrina et dialectica et denique psychologia; artium autem illarum, quarum scientiam in causarum generibus singulis diximus esse necessariam, philosophiae subiici aut supponi potest nulla, id quod percensens eas facile per se quisque intelliget. Ceterum Plato, quamquam de his non quaesivit, tamen sic quoque satis demonstravit, quod Phaedri quodam loco[19]) statuit, eloquentiae laudem non posse comparari sine doctrina. Et hoc quidem subtiliter exponendo de studiis oratoriis emendandis meruit optime. Nam si ulla re, eloquentia illa aetate eo foede erat corrupta ac depravata, quod plerique, qui tunc se profitebantur oratores, quippe profecti a sophistis, qui praeter ipsam rhetoricam omnino nihil discendum esse oratori futuro

---

[19]) P. 269 *D.* *εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην,* ubi tria quasi fundamenta facit eloquentiae: naturam, doctrinam, exercitationem.

docebant[20]), quasi nudi atque inermes ad causas veniebant nullaque cognitione rerum ornati rhetoricam factitabant. Hac ab perversa ratione quod oratores avocavit viamque, qua ad veram perveniretur eloquentiam, monstravit, sine ulla dubitatione confirmaverim Platonis longe maximum de arte rhetorica esse meritum.

Hac haud dubie gravissima totius commentationis nostrae parte ad finem perducta, quoniam duae supersunt quaestiones a Platone partim in Gorgia partim in Phaedro excussae, altera, num ars, altera, num utilis sit rhetorica, reliquum est, ut his de rebus quid senserit Plato numque idem quod Aristoteles senserit, paucis sit exponendum. Ac quia in Gorgia quidem rem ita instituit, ut quaestioni alteri alteram quasi intexeret et pertractans illam ad hanc solvendam simul muniret viam, ab hoc sermone proficisci primumque eius, quae ibi fit, disputationis narrare rationem conducet. Est autem eius ratio fere haec (inde a p. 462 *B.*). Polo, Gorgiae familiari, qui, postquam ille a Socrate in angustias compulsus reticuit, sermonem suscepit, quaerenti ex Socrate, quamnam artem censeat esse rhetoricam, hic respondet, sibi quidem eam omnino nullam videri esse artem, sed observationem quandam[21]) (*ἐμπειρίαν*

---

[20]) Cf. Plat. Gorg. p. 459 *C.* *ΓΟΡ.* *Οὐκοῦν πολλὴ ῥᾳστώνη, ὦ Σώκρατες, γίγνεται, μὴ μαθόντα τὰς ἄλλας τέχνας, ἀλλὰ μίαν ταύτην, μηδὲν ἐλαττοῦσθαι τῶν δημιουργῶν;*

[21]) Hac voce, quae maxime Graeco vocabulo mihi videtur respondere, Ciceronis sequens auctoritatem utor, apud quem in libro altero de Oratore (c. 57. §. 232.) Crassus haec est loquens: 'Quasi vero horum ipsorum, de quibus Antonius iam diu lo-

τινά), et eam quidem voluptatis cuiusdam parandae (*χάριτός τινος καὶ ἡδονῆς ἀπεργασίας*), ita ut eius summa consistat in blandiendo ipsaque pars sit facultatis blandiendi (*τῆς κολακείας*). Cuius facultatis cum etiam aliae sint partes, veluti coquorum ars, quae vulgo dicatur, si quaeratur, qualem partem dicat esse rhetoricam, sua quidem sententia eam esse rationis civilis particulae simulacrum (*πολιτικῆς μορίου εἴδωλον*), idque admodum turpe. Quod cum neque Polo perspicuum sit et Gorgiae tam mirum videatur, ut Socratem, quod dixerit, dilucidius explicare iubeat, ille, ut apertius fiat, quid sentiat, hunc in modum disputare pergit (p. 464 *A.*). Duae sunt, inquit, ex quibus homo constat, partes, altera animus, altera corpus, eiusque partis utriusque bona quaedam est valetudo, sed ea aut vere bona esse potest aut specie tantum bona, suntque res, quae hanc, sunt item, quae illam possunt efficere. Et efficiunt quidem valetudinem vere bonam duae artes, altera animi, altera corporis; quarum eam, quae spectat ad animum, civilem (*πολιτικὴν*) voco, eam, quae pertinet ad corpus, uno quidem nomine non possum appellare, sed cultus corporis, qui unus est, duas pono particulas, unam artem gymnicam, alteram medicinam; totidem autem partes dico esse rationis civilis, unam legum scribendarum, alteram iuris dicundi artem, has singulas singulis illis respondentes. Et hae quidem artes verae vel animi vel corporis inserviunt saluti. Sed iis fraudulenter sese

---

quitur, ars ulla sit. Observatio quaedam est, ut ipse dixit, earum rerum, quae in dicendo valent.'

solet admiscere facultas blandiendi (ἡ κολακευτική), quae quadrifariam divisa, tametsi non saluti, sed voluptati hominis consulit, tamen illarum artium uniuscuiusque quasi speciem induit dignitatemque sibi asciscit. Nam medicinae praestantiam sibi sumit coquinaria simulans, sese cibos nosse corpori saluberrimos, et artis gymnicae artificium comendi (ἡ κομμωτική) ementiens, sese lenociniis suis corpus reddere pulcherrimum. Quae autem ratio artificio comendi cum arte gymnica, eadem sophisticae intercedit cum arte legali, et quae coquinariae cum medicina, eadem rhetoricae cum arte iudiciali. Haec igitur quattuor artium illarum quattuor sunt quasi simulacra (p. 465 *C.*). Et blandiendi quidem facultates eas omnes appello resque turpes esse dico, quia veram salutem nihil curantes voluptatis sunt ministratrices; artes autem eas esse nego observationesque voco, quia earum, quibus utuntur, rerum quae sit natura ignorant, ita ut de causis cuiusque rei non possint reddere rationem; ratione autem quidquid caret, artis nomine puto esse indignum (p. 465 *A.*). — Haec ibi Socrates. Et quoniam per totam hanc disputationem tam generatim loquitur atque universe, ut, quae dicit, sine discrimine ad omnia studia oratoria videatur referre, legentes paene necesse est ad eam adduci sententiam, ut Platonem existiment omnino nec in artibus numerasse nec utilem putasse rhetoricam. Nam et artem et utilem eam esse praecise negat Socrates, hoc, observationem, illud, facultatem blandiendi eam appellans; quid enim? quae eius potest esse utilitas, si semper hominum auribus blanditur neglectaque vera eorum salute solius voluptatis

prospicit rationibus? Et quid quod aliis locis etiam confirmari ea, quam diximus, videtur opinio? Nam in Phaedro Socrates postquam ipsam rhetoricam antea graviter accusatam purgandi sui causa hunc in modum induxit loquentem: suum quidem consilium eo pertinere, ut, qui in se velit operam conferre, id tum demum faciat, cum veri cognitionem sit consecutus; sese tamen hoc statuere, sine suo auxilio ne eum quidem, qui rerum veritatem perspexerit, ex arte posse dicere — post hanc igitur rhetoricae defensionem ille Phaedro dubitanti, an haec iure possit proferre rhetorica: *Φημί*, inquit, *ἐὰν οἵ γε ἐπιόντες αὐτῇ λόγοι μαρτυρῶσιν εἶναι τέχνη. ὥσπερ γὰρ ἀκούειν δοκῶ τινων προσιόντων καὶ διαμαρτυρομένων λόγων, ὅτι ψεύδεται καὶ οὐκ ἔστι τέχνη, ἀλλ' ἄτεχνος τριβή* (p. 260 *E.*). Et in Gorgia, quo in dialogo aliquanto post eum, quem narravimus, sermonem interiectis aliis rebus etiam nominatim de utilitate rhetoricae quaeritur (inde a p. 480 *A.*), disputationem eam Socrates hanc perducit ad clausulam (p. 481 *B.*): *Τῷ γε μὴ μέλλοντι ἀδικεῖν οὐ μεγάλη τίς μοι δοκεῖ ἡ χρεία αὐτῆς εἶναι, εἰ δὴ καὶ ἔστι τις χρεία, ὡς ἔν γε τοῖς πρόσθεν οὐδαμῇ ἐφάνη οὖσα.* Quid? his in medium prolatis, Platonem nec in artibus posuisse nec pro re utili habuisse rhetoricam, nonne videtur esse certissimum? Et tamen hac opinione, quod acriter iam perspexit Quintilianus (v. Instit. Orat. II, 15, 24. sqq.), nihil a vero abest longius. In promptu enim sunt quae eam refutent falsamque esse doceant argumenta firmissima. Et artium quidem de numero Platonem longe abfuisse ut rhetoricam censeret eximendam, luce clarius fit ea re,

quod in Phaedro fuse lateque exponit, quae via ei, qui ex arte velit dicere, sit ingredienda, artisque ad dignitatem rhetorica quomodo possit perduci. Artis autem quia sit via et ratione agere (cf. Phaedr. p. 270 *E.*), dici autem via et ratione sine variarum illarum, quas supra diximus, rerum disciplinarumque scientia non possit, ei, qui dicendi cupiat fieri artifex (*τεχνικὸς λόγων πέρι*), scientiam illam multiplicem iudicat necessario esse comprehendendam. Ex hac autem cognitione cum quasi efflorescat redundetque eloquentia, tum exstare fatetur artem dicendi perfectam omnibusque numeris absolutam (p. 272 *A.* (*τότε*) *καλῶς τε καὶ τελέως ἐστὶν ἡ τέχνη ἀπειργασμένη*). Atque ut his rhetoricam posse esse artem, ita in Gorgia posse eam esse utilem haud ambigue significavit. Leguntur enim in eo libro (p. 502 *E.* — 503 *B.*) haec. Quaerit Socrates e Callicle, rhetoricae illi, quae Athenis aliisque in civitatibus liberis vigeat, quid censeat esse propositum, oratoresque utrum putet id semper, quod optimum sit, in dicendo spectare, ut cives quam optimi fiant orationibus suis, laborantes, an gratiam eorum captantes privatique sui commodi causa bonum publicum negligentes populis tanquam infantibus morigerari et blandiri neque, meliores eo fiant an peiores, curare. Cui Callicles: ad haec non posse responderi simpliciter; esse enim oratores, qui civium saluti consulant, esse, qui eam negligant. Quam sententiam consensu suo plane comprobans Socrates: *Ἐξαρκεῖ*, inquit. *εἰ γὰρ καὶ τοῦτό ἐστι διπλοῦν, τὸ μὲν ἕτερόν που τούτου κολακεία ἂν εἴη καὶ αἰσχρὰ δημηγορία, τὸ δ' ἕτερον καλόν, τὸ παρασκευάζειν, ὅπως ὡς βέλτισται*

ἔσονται τῶν πολιτῶν αἱ ψυχαί, καὶ διαμάχεσθαι λέγοντα τὰ βέλτιστα, εἴτε ἡδίω εἴτε ἀηδέστερα ἔσται τοῖς ἀκούουσιν. Quibus non opus est addere verbum. Concedit enim Socrates sive Plato, posse esse eiusmodi rhetoricam, quae hominum mores emendare studeat salutique reipublicae serviat; hoc autem qui concedit, utilem posse esse rhetoricam non potest negare.

Jam vero, haec quoniam ita se habere docuimus, quaestio exsistit, quae sit ratio eorum, de quibus supra diximus, locorum, quibus Plato rhetoricam observationem quandam usumque nulla ratione collectum et rem turpem facultatemque blandiendi appellat. Quae ut universe sunt dicta, ita ad universam rhetoricam relata quoniam iis, quae modo exposuimus, mirum in modum repugnarent, id nemo iam dubitabit, quin scriptor de rhetorica universa iis locis facere iudicium in animo non habuerit. Notavit ibi, ut rem paucis transigamus, eam, quae illa aetate Athenis factitabatur, rhetoricam; hanc enim et in Phaedro saepius dicit ab omni scientia rerumque cognitione esse seiunctam, et in Gorgia (p. 503 *B.*) totam arguit ad blandiendum esse compositam; hanc igitur *ἐμπειρίαν* et *ἄτεχνον τριβήν*, hanc *κολακείαν* esse iudicavit.

Aristoteles in principio libri primi postquam docuit, rhetoricae aeque ac dialecticae tales res esse subiectas, quae ad commune iudicium popularemque intelligentiam sint accommodatae, ideoque omnes quodam modo ambarum esse participes, posse aliquam esse artem dicendi hunc in modum confirmat (I, 1. p. 1354 *a* 6.): *Τῶν μὲν οὖν πολλῶν οἱ μὲν εἰκῇ ταῦτα δρῶσιν* (i. e. *ἀπο-*

λογοῦνται καὶ κατηγοροῦσιν), οἱ δὲ διὰ συνήθειαν ἀπὸ ἕξεως. ἐπεὶ δ' ἀμφοτέρως ἐνδέχεται, δῆλον ὅτι εἴη ἂν αὐτὰ καὶ ὁδοποιεῖν· δι' ὃ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν οἵ τε διὰ συνήθειαν καὶ οἱ ἀπὸ ταὐτομάτου, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται, τὸ δὲ τοιοῦτον ἤδη πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν τέχνης ἔργον εἶναι. Ait igitur, cum ex vulgo alii temere ac fortuito dicant causas, alii usu et consuetudine id faciant, non esse dubium, quin liceat causam explorare et notare, cur et hi et illi propositum suum assequantur, itaque certa aliqua dicendi patefacta via, ratione exercere rhetoricam; hoc autem omnes certe concessuros artis esse munus. Quibus extremis verbis admodum est veri simile, quod multi viri docti suspicantur, tecte designari ac reprehendi Platonem; sed hoc si ita est, sequitur, ut Aristoteles, pariter ac post eum permulti, deceptus ea re, quod Plato prorsus generatim dixit, quae de studiis oratoriis suae aetatis voluit intelligi, artis laude eum putaverit rhetoricam omnino fuisse privaturum. Quam opinionem, quamvis favere ei scriptoris verba videantur, tamen falsam esse, Platonemque via dicere et ratione non minus quam Aristotelem censuisse artis esse, supra satis firmis gravibusque mihi videor probasse argumentis.

De utilitate rhetoricae Aristoteles disputat latius (I, 1. p. 1355 *a* 20. sqq.); sed quoniam tam male de hac arte docuimus ne Platonem quidem cogitasse, ut utilem eam esse omnino non posse existimaret, supervacaneum puto persequi, quae Aristoteles de hac re exponit. Quare hic aliquando disputationis huius sit finis.

VITA.

Natus sum Georgius Richardus Wiechmann a. d. XVIII. Kal. Sept. anni huius saeculi XL. Postampii patre Ferdinando, scholae urbanae magistro, matre Augusta e gente Foehr, qui quod adhuc vivunt, Deo gratias ago. Fidem profiteor evangelicam. Sexto aetatis anno in scholam illam publicam sum deductus, in qua pater meus praeceptoris munere fungitur cuique tunc C. Chr. Loefflerus, vir sincerissimus, iam pridem praematura morte absumptus, rector praeerat. Ubi postquam prima litterarum elementa didici domi ipso patre pueruli studia summa cum cura moderante, decimum aetatis annum agens gymnasium adii Postampiense, quod sub Rigleri, viri doctissimi, auspiciis floret diuque floreat. Quam scholam cum magistrorum praestantissimorum benevolentia usus per novem annorum spatium frequentassem, maturitatis, quod dicunt, testimonio instructus verno tempore anni MDCCCLIX. Berolinum me contuli ibique a V. Ill. Dovio, qui tunc fasces tenebat academicos, universitatis Fridericae Guilelmae civibus adscriptus apud V. Ill. Magnum, philosophorum ordinis decanum, nomen professus sum, ut studia susciperem philosophica et philologica. Per septem, quae in hac alma litterarum sede degi, semestria docentes audivi professores illustrissimos Boeckhium, Droysenum, Geppertum, Hauptium, Hengstenbergium, Koepkium, de Raumerum, Trendelenburgium, Werderum. Praeterea per tria semestria exercitationibus, quas Trendelenburgius moderabatur, philosophicis interfui. Quibus viris omnibus de me optime meritis gratiam semper habebo maximam. — Auctumno anni MDCCCLXII. Postampium in domum paternam reversus ibi hanc dissertationem conscripsi ad summos in philosophia honores capessendos.

THESES.

I. Patrocleam inde ab initio libri XVI. usque ad v. 355. libri XVIII. Iliadis pertinere.

II. Recte Cobetum (in Novv. Lectt. p. 535. sqq.) contendere, Xenophontem, cum iis, quas in Anabasi narrat, rebus interesset, vicesimum fere octavum vel nonum aetatis annum egisse.

III. Aristotelem in eo a se ipsum descivisse, quod in herili condicione dominationem (*δεσποτείαν*) iustam iudicaverit.

IV. Aristot. Rhetor. II, 23. p. 1397 *a* 29. verba '*καὶ εἰ τῷ ποιήσαντι, καὶ τῷ πεπονθότι*' esse delenda.

V. Aristot. Rhetor. III, 7. p. 1408 *b* 6. scribendum videri: *λέγω δὲ οἷον ἐὰν τὰ ὀνόματα σκληρὰ ᾖ καὶ ἡ φωνή, μὴ καὶ τῷ προσώπῳ καὶ τοῖς ἁρμόττουσιν.*

VI. Cornelii Nepotis vitas parum idoneas esse, quae tironibus legendae tradantur.

VII. Liv. II, 30, 4. Madvigii emendationem 'imperii vis' (lect. codd. 'imperio suo', lect. vulg. 'imperium suo') recipiendam esse.